DE ANTIQUITATE

ET VARIA CAPYCIORUM FORTUNA.

JOSEPHUS CAPYCIUS-LATRO

SENIOR TARENTINORUM PONTIFEX

HOC OPUS PUBBLICI JURIS FECI

ANNO ÆTATIS MEÆ LXXXVI

REPARATÆ VERO SALUTIS MDCCCXXX.



NEAPOLI

EX TYPOGRAPHICA ET CHARTARIA FIBRENI OFFICINA

1830.

Vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, dubiis fidem.

Plin. *Hist. Nat.*

CLARISSIMO ET NOBILISSIMO VIRO

MARCHIONI CASTRI LENTINI

THOMAE GARGALLO

JOSEPHUS CAPYCIUS - LATRO

SENIOR TARENTINORUM PONTIFEX.

S.

Cum primum ex illo doloris cruciatu quem mihi dulcissimae alumnae meae Annae Weiglin mors attulit, paulum me recepi, statim lucubrationi de Capyciorum familia praeteritis annis pene inchoatae manum summam imponere cogitavi. Cui autem opus inscriberem post obitum

*

sapientissimi Selandiae Episcopi, diu multumque anceps non fui. Tu, Gargalle optime, tu mihi penitus occurristi, quem mihi maxime devinctum semper amavi. Adde etiam, quod, cum apud exteras gentes saepe sis commoratus, teque generis nobilitate, ingenio, morum elegantia, doctrinae splendore, et Horatio praesertim tuo, spectatissimum cum altioris subselii viris familiaritas ubique conjunxerit, lucubratio haec nomini tuo dicata, cum patrios fines praetergressura erit, te auspice, in multorum elegantium hominum oculis atque ore versabitur.

Habes igitur, Gargalle carissime, singulare amoris et observantiae erga te meae testimonium, quod non dubito tibi gratissimum sit futurum.

Vale.

OCCASIO SCRIBENDI.

Fridericus Munter Selandiae utque Ordinum Regiorum Equestrium Episcopus, Magnae Crucis Danebrocicae Eques, eiusdemque Ordinis cruce argentea ornatus, ex communi sapientissimorum hominum consensu antiquioris Ecclesiae disciplinae et latinarum graecarumque literarum scientissimus, dum Neapolim Siciliamque peragravit, quidquid viatoris studio et attentione dignum offerebatur in singulis urbibus, id omne diligentissime notavit, uti constat ex opere *Viaggio in Sicilia anno 1786 ad 87*, quod Eques Franciscus Peranni maximi ingenii et judicii vir ex germanica lingua italice reddidit, adjectis quibusdam notis ad rectam Siciliae antiquitatum cognitionem sapienter appositis. Friderici Munter autem soror, femina raris animi dotibus insignita, quamdiu Neapoli commorata fuit, domum nostram saepe saepius adibat, et ejus opera ad praeclarissimi Fratris sui amicitiam literarum commercio accessimus, quod nihil dulcius nihil eruditius evenire poterat. Munter vero antiquitatum medii aevi apprime studiosus originem Capyciae gentis tot cognominum varietate distinctam nobis investigandam proposuit.

Nos itaque amicissimi viri desiderio satisfacere cupientes opus hoc libenter praeteritis annis suscepimus, atque hujusce nostrae disceptationis Munter ipsum judicem et patronum deligere statuimus. Verum dum postremam operi manum imposuimus Virum sapientissimum e vivis sublatum literis clementissimi atque eruditissimi Dauniae Principis Christiani Friderici, non sine magna doloris acerbitate, accepimus. Opus tamen in lucem emittere putavimus, tum ut a nobis, praeter lacrimas, aliquid diu duraturum memoriae tanti viri daretur, tum etiam ne vi vetustatis atque temporum edacitate

Majorum nostrorum memoriae, quamvis publicis amplissimisque monumentis commendatae, aliquando tandem confici et sensim delitescere viderentur. Neque ingratam patriae eruditionis cultoribus operam existimavimus si quae a Scriptoribus aliisque summae fidei documentis testata inveniuntur, nunc denuo in lucem edere statuimus; nam vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, dubiis fidem operae pretium, teste Plinio, semper fuit.

Recentiores vero Capyeii dum majorum suorum laudes, ornamenta, et gloriam spectant, seipsos excitent impellantque ad pares honores consequendos non solum avitae illius amplitudinis jure quodam haereditario, sed propria virtute, honestisque moribus. Hinc recte Theocritus, *Generosos* (inquit) *arbitraris esse non eos, qui ex illustrium stirpe propagati sunt, sed qui probitatem caeteris rebus praeposuerunt.*

Nam si quid in nobilitate bonum (inquit Boethius) *id esse arbitror solum, ut imposita nobilibus necessitudo videatur, ne à majorum virtute degenerent:* ac proinde dum nostrorum ornamenta posteris mandare statuimus, fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrati sumus.

CAPUT PRIMUM.

Ginellus Capycius Consul Reipublicae Neapolitanae anno reparatae salutis millesimo nono.

VETUSTISSIMAM Capyciae Gentis originem descripturi, nugas et inania illorum commenta relinquimus, qui Capyciorum gloriae nimium studentes fabulosum nobilitatis ortum edidere a Trojano illo Capy, cujus est apud Virgilium mentio.

Verum non solum apud familiarum Scriptores fabulae istae reperiuntur, sed vitium potius illius, qua vixerunt, aetatis dicendum: prurigo enim isthaec omnium invaserat animos, et repetitae fabulae eo avidius excipiebantur, quod haud injucundum erat *genus trahere alto a sanguine Trojae.* Nonne Guisius Trojanas fabulas in medium protulit, cum Belgiae Principes, Sylvios, ac Brabones a Priamo, atque Antenore prognatos asseruit? Vetustissima autem populi romani historia similibus fabulis superstructa fuit, nec Tito Livio historiarum principi fraudi fuit quod romanorum glorias ab Ilio, et Aenea deduxerit: *datur haec venia antiquitati* (inquit Livius ipse) *ut miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat.*

Verum speciem istam vanae antiquitatis sectentur ii, quibus nulla est majorum gloria, famaque recentior.

Octigentis et amplius ante annis Girullum Capycium et Burrum Brancacium consulatum in hac nostra urbe gessisse scimus ex vetustissimo codice, Lon-

gobardico charactere exarato, quem in Archivo S. Sebastiani olim repositum Scriptores rerum Neapolitanarum passim designarunt. Hujusce autem codicis memoriam habemus apud praeclarissimum Pomponium Laetum, penes quem se nonnulli vidisse historiarum suarum monumentis testati sunt. En tibi codicis autographum... *Nos oligamus Stella dux ec. Ginellus Capycius, Baldaxar Iuuanus, et Burrus Brancacius Consules Magnificæ civitatis Neapoli; quæ in præsentia est in magna penuria tritici, olei, casei, et hordei; promittimus quibuscumque salmariis vallis Beneventanæ, Avellini, et aliorum locorum, qui venerabili in Christo patri Mundo Præsuli Beneventano subiecti sunt, pro qualibet salma farinæ, vel tritici tarenos duos; pro qualibet salma hordei tarenum unum; pro qualibet salma olei, et casei tarenos tres, qui ipsis introitu portarum solventur ultra pretium quod pro illis rebus accipient. Et ideo vobis Venerabili Antistiti præsentes scripsimus ut civitati nostrae gratum faciatis; ad vocem praeconis bandire faciatis per omnes terras vobis obedientes quod vobis promittimus, et ratum habebimus. Data Neap: die XI. Maij tert: indic: Sedente Sanctis: Papa Nostro Sergio IV.*

Conijcere hinc quisque poterit, Ginellum Capece, et Burrum Brancaccio, qui ineunte saeculo undecimo Consules Reipublicae appellantur, homines non adeo novos, sed nobili tunc etiam titulo designatos fuisse; ac proinde Capycianae et Brancacianae familiarum ortus antiquior certe habendus est. Ducis vero, et consulis titulos antiquitus Neapoli extitisse nemo igno-

rat (*a*). Hujusce autem codicis fidem novissimis argumentis confirmare operae pretium putavimns ut omnis dubitandi tollatur occasio.

CAPUT. II.

Julii Caesaris Capacio Neapolitanae historiae auctoris de Ginello Capycio judicium ad trutinam expenditur.

Saeculo decimo septimo ineunte tantus fuit Neapoli literarum proventus, tanta doctorum virorum, egregiorumque scriptorum copia ut in comperto sit nullam aetatem fuisse apud Neapolitanos, quà in disciplinis majori sive industria sive gloria desudatum fuerit. Praesertim vero collatis studiis Regni Neapolitani historiam summopere promovendam curarunt.

Inter hos *Julius Cæsar Capacius* stupendi vir ingenii, et omnigena doctrina ornatissimus enituit, magna profecto tum diligentiae, tum judicii laude. Verum historia isthaec nonnulla complectitur sublestae fidei, seu dicere mavis ἀπόχρυφα non tam scriptoris, quam praeteritae aetatis vitio, quaeque auctor ipse secundis curis emendanda aut resecanda statuisset. Nos vero ea quae Ginnellum Capycium tantummodo respiciunt, breviter narranda suscepimus.

(*a*) Summonte = Istoria di Napoli, Lib. I. cap. 6.
Chioccarello = in Catal. Antist. Neap. in Sergio III. in fine.
Tutino = dell' origine de' Seggi di Napoli fol. 78 Nap. 1640.

Duces quos potui (Capacius inquit Lib: I. Neapolitanae hist. cap: XII. pag. 111 — editionis Neap: 1607 apud Jacobum Carlinum) *summis laboribus e tenebris eruere conatus sum, licet rerum involucra rectam annorum supputationem mihi abstulerint.* Pagina vero 163 haec habet.

Oligamus Stella Dux. etc. etc. Nullam hujus Ducis memoriam haberemus nisi Aelius Marchisius in familia Capyciorum servasset; ait enim hujusmodi diploma a Pomponio Laeto se habuisse.

Quod scriptum, si diploma est, miror aliorum diplomatum stylum praetermisisse, in quibus dux initio cum ejus aetatis Imperatoris anno ponitur, atque iis in extremis Consules subscribunt. Et si anno 1009 commemoratur, quid de Ducum meorum serie dicam, quam fere perpetuam habeo, et quae inter patres et filios fere semper intercedit, cum praecipue anno 1014 Ioannes ille recensetur quo Puteolos occupante etc. etc. etc. (*a*).

Iuvat hic duplicis Capacii assertionis librare pondera: *Duces quos potui, summis laboribus e tenebris eruere conatus sum licet rerum involucra rectam annorum supputationem mihi abstulerint.* Haec pagina 111 primi Libri: deinde pagina 193 ejusdem Libri: *Et si anno 1009 commemoratur, quid de Ducum meorum serie dicam quam fere perpetuam habeo etc. ete.*

(*a*) Joannes Consul et Dux Neapolis anno 1027, uti constat ex Instrumento penes *Tutino* pag. 21 edit. Neap. 1644 — Nihil igitur obstat literae nostrae, quae signata fuit anno 1009 —

Illud *fere perpetuam habeo* male convenit cum iis quae in pagina 111 leguntur. *Duces, quos potui, summis laboribus è tenebris eruere conatus sum licet rerum involucra rectam annorum supputationem mihi abstulerint.* Praeterea multa, quae de Ducum Neapolitanorum gestis referuntur a Ioanne Villano desumpta fuisse ipse Capacius affirmat. Attamen Capacius ipse Lib. I. pag. 112 Ioannem Villano fabularum inventorem appellat: *Hujusce*, inquit, *auctoris Chronicæ parum credere debemus, cum fabularum inventis plurima immisceat* (*a*).

Denique Capacius ipse frustra laborasse inquit dum Ducum Neapolitanorum imagines *summa diligentia perquisivit* (*b*).

Nostri autem Ducis notitia, ubi de Ginello Capycio agitur, non in fabulosis Villani inventis reperitur, sed praeclarissimi Pomponii Laeti auctoritate fulcitur. Nemo vero ignorat quantam sibi laudem Pomponius meruerit, dum vetera monumenta aut ab interitu quodammodo vindicavit, aut integra posteris exhibuit, itaut nefas esset dicere quod vir tantae celebritatis aut apocryphum monumentum ipse effinxisset, aut ab aliis effictum credulitate nimia in testimonium adduxisset (*c*).

(*a*) *Muratori* Annali T. VI. pag. 33. Se vogliamo qui prestar fede a Giov. Villani che narrando avvenimenti lontani dai suoi tempi, ci conta bene spesso delle favole, o pure con favolose particolarità sconcia i fatti veri.

Gennaro Grande Origine de' cognomi Gentilizj pag. 183 ediz. Nap. del 1756 multos Capacii errores redarguit.

(*b*) Capacius hist. Neap. ediz. Gravier 1771. pag. 95.

(*c*) Nel Dizionario istorico degli uomini Illustri all' articolo di Pomponio

*

Alteram dubitandi rationem in medium Capacius profert, dum hujusce monumenti stylum ab aliis ejusdem generis differre asserit: *Quod scriptum*, ita ait pag. 163, *si diploma est, miror aliorum diplomatum stylum praetermisisse* etc. Verba isthaec gravem scriptorem minime decent; ubi enim reperies in hoc scripto diplomatis argumenta? siquidem Διπλώματα sunt còdicilli quos literas patentes nunc appellamus, cujusmodi sunt edicta, et mandata Principum regio signo sancita, scriptum vero, de quo agitur nil tale habet: scribunt Consules Episcopo Beneventano *quod civitas Neapolis in praesentia est in magna penuria olei, casei, et hordei, et promittimus* etc. etc.

Brutus item Capycius, quem honoris causa Capacius nominat, *et Generis decus, literarumque splendorem* appellat (*a*), monumentum hoc (Capyciae gentis maximum ornamentum) in archivo S. Sebastiani repositum affirmat. En tibi auctoris verba — *Dei Capeci è assai bella memoria quella di Ginello Console di Napoli nel mille, et nove in uno strumento scritto di lettere Longobarde, attestato da molti autori, il quale riserbasi nell' archivio di S. Sebastiano in Napoli, dice così lo strumento = Nos oligamus Stella Dux, Ginellus Capycius* etc. etc. etc. Capacius ergo dum Brutum Capycium, ut ante notavimus, *litera-*

Leto fra le altre lodi date a questo autore si leggono le seguenti parole = Pomponius Laetus ramassa avec soin *les anciens manuscrits*, et les marbres antiques sur les quels il y avoit des inscriptions.

(*a*) Capacius hist. Neap. Lib. II. pag. 519 — editionis Neap.

rum splendorem appellat, monumentum, de quo agimus, suspectae fidei minime fuisse aperte confirmat. Verum Capacius ipse supradictis difficultatibus affectus, tandem in praeclarissimi Pomponii Laeti fidem confugit, ait enim: *sed ne docto viro adversari velle videar, hoc tempore hujusmodi hunc ducem colloco, ut et Marchesius me docuit* (*a*).

Mundi autem Praesulis Beneventani, cui Consules literam scribunt, illustre monumentum habemus in Breviario Chronologico *MS.* quod servatur in archivo Archiepiscopali Beneventanae Ecclesiae, cujus *MS.* exemplar Archiepiscopus Spinucci S. R. E. Cardinalis mihi libenter transmisit. En codicis verba = *Mundus Archiepiscopus Beneventanus ac Sipontinus IV. floruit anno Domini MIX.* (*b*). Ex quo manifeste eruitur quam recte Sarnellius inter Beneventanae Ecclesiae Praesules Mundum enumeraverit, quem Ughellus more suo reijciendum putavit, et V. Beneventi Episcopum nominat, cum ipse fuerit IV. ut constat ex enunciato Chronologico (*c*).

Sergius autem Papa IV, cujus hic fit mentio, Ro-

(*a*) Lib. I. hist. Neap. pag. 140 ed. Neap. Opud. Gravier 1771.

(*b*) LV. = Archiepiscopus IV. = Mundus Archiepiscopus Beneventanus IV. Floruit anno Domini MIX. = Questo Mondo IV. Arcivescovo di Benevento e Siponto succedè ad Alfano II; ch'era stato eletto Arcivescovo delle stesse Chiese nell'anno 998; ed ebbe per successore Alfano III. nipote del secondo, che fu eletto Arcivescovo nell'anno 1011 —

(*c*) Assai di false merci si contengono nell'Italia Sacra, perchè non ebbe l'Ughelli bastante cognizione di critica, e non usò la convenevole diligenza nel distinguere le vere dalle false memorie etc. etc. etc. Murat. Antic. Ital. Diss. 34 pag. 9 e 10 ediz. Napoletana del 1783.

manam Cathedram rexit ab anno MIX, usque ad annum MXII, uti ex Romanorum Pontificum historia videri poterit. Ex his luculenter eruitur quam bene in nostro codice omnia conveniant, ut exinde omnis dubitandi tollatur occasio, uti supra animadvertendum statuimus.

Mirandum vero cuipiam non erit si hujusce literae fidem argumentis hinc inde petitis confirmandam studuerim cum autographum ex ipso S. Sebastiani Archivo petere potuissem. Nemo enim ignorat Archivorum nostrorum depraedationem. Anno enim 1807, partem hanc regni Iosepho Napoleone occupante, Religiosorum Ordinum abolitione decreta, Archivorum omnium collectio in generali archivo reposita fuit. Immensa illa chartarum copia usque adhuc in obscuro jacet loco, et nonnisi magnis laboribus et diuturno tempore pretiosam illam neapolitanae historiae congeriem pristino decori restitutam videbimus. Litera tamen, de qua agimus, inveniri fortasse nunquam poterit; Pomponius enim Laeto Pontificum Romanorum jussu omnia pene Europae Archiva non solum, uti dicunt, ratione atque animo lustravit, verum etiam quaedam aut facile sumpsit, aut incuria neglexit. Constat autem ex patriae historiae scriptoribus, quorum etiam Capacius mentionem facit, literam nostram apud Pomponium extitisse: si incuria, aut quorundam dolo fuerit abrepta, incertum.

CAPUT III.

Iudicium Alexandri de Meo, et aliorum Neapolitanae historiae Scriptorum refellitur.

Postquam Capacii dubitationem Cap: 2. falsam arguendo ostendimus, supervacaneum erit aliorum Neapolitanae historiae Scriptorum argumenta refellere; nemo enim ante illud tempus literam nostram in dubium revocavit. Posterioribus hisce temporibus Alexander de Meo novas dubitandi rationes in medium protulit (*a*); ait enim Mundum Beneventi Episcopum nunquam extitisse, neque hujusce Praesulis memoriam inveniri inter Beneventanae Ecclesiae monumenta. Nos vero Cap: 2. abunde demostravimus quam recte Sarnellius Beneventanae Ecclesiae Episcopum Mundum asseruit. Neque solum Sarnellium secuti sumus contra innumeros Ughelli errores, verum etiam illustre Beneventani Archivi monumentum in medium protulimus, uti constat ex iis quae cap. 2. reposuimus. Alteram deinde Meo dubitandi rationem adjecit ex eo quod Consules Duci potius Beneventano literam scripsissent; Ducatus enim imperium Princeps habebat, Episcopus Ecclesiae tantum praepositus erat. Ast Meo Chronicarum collector historiam neglexit. Sciendum igitur quod Landulphus quartus Capuae Princeps diem

(*a*) De Meo Annali Critici diplomatici. Tom. VII. pag. 9 Nap. 1802.

obiit extremum anno 1007, et successorem habuit alterum Pandulphum, qui socium sibi adscivit Pandulphum secundum Beneventi Ducem, ut apud Muratorium videri poterit (*a*).

Constat igitur anno 1009 Beneventi Ducem Capuae Principatum rexisse, ac proinde Consules Neapolitani literam Episcopo scripserunt, utpote, Principis absentia, Ducatus Beneventani Gubernatori. Eodem fere modo, Sergio Neapolis Duce absente, Athanasius ejusdem civitatis Episcopus Ducatum usurpavit (*b*).

Augustus etiam Otho saeculi undecimi initio *passando per Benevento fece istanza a quei cittadini di avere il corpo di S. Bartolomeo Apostolo* (*c*).

Meo igitur Imperatorem etiam redarguere potuisset, quod, Principe Beneventano posthabito, Cives tantum interpellasset.

Colligere autem quisque poterit ex allato etiam Muratorii testimonio, quod saeculi undecimi anno septimo Pandulphus Secundus Dux Beneventi Capuae Principatum tenebat.

Tandem Meo, literae nostrae oppugnator acerrimus, Sergium Quartum tunc temporis Ducem Neapolita-

---

(*a*) Muratori = Annali d'Italia 1010 pag. 692 Tom. VI. — vide etiam Chronicon Breve S. Sophiae ann. 17 pag. 155 —
Chronicon S. Trinitatis Cavae an. 1009 pag. 428 —
Necrologium S. Benedicti pag. 84.
Gattola Hist. Cass. tom. III. pag. 106 e 122 —
Chronicon Cavense an. 1010 pag. 692 —

(*b*) Poggio de Varietate fortunae Lib. I.

(*c*) Murat. ann. d'Ital. Indizione XIV. Tom. VI. pag. 1752 —

num fuisse affirmat, atque hoc unico argumento suspectae fidei literam declarat. Meo igitur Chronicarum collector, uti notavimus, historiam neglexit; anno enim duodecimo saeculi noni Sergius Quartus inter Neapolis Duces reperitur, uti ex Muratorio habemus (*a*). Litera vero nostra anno nono ejusdem saeculi signata fuit, et praesertim eodem anni tempore in quo, Lupus Protospapa, *cecidit*, inquit, *maxima nix, ex quo siccaverunt arbores olivae, et volatilia mortua sunt.* (*b*). Tunc tota fere Italia, nec non aliqua Europae pars, ab aeris plerumque infectione, et ciborum inopia desertis propter pestilentiam agris, in maximum periculum venit.

Difficillimis illis temporibus Consules Civitatis Neapolis literam scribunt, et *civitatem*, ajunt, *esse in magna penuria tritici, olei, casei, et hordei:* Quam bene etiam temporum illorum vicissitudo alterum veritatis testimonium suppeditat, et quam bene literae nostrae partes omnes inter se veluti quodam lepore consentiunt. Insuper ex Ubaldi Chronica, et Codice Siculo — Arabo constat quod Sergius Neapolis Dux saeculi undecimi initio principatum amisit, vi, aut dolo Pandulphi Capuae Principis incertum (*c*).

Denique ab indictionum varietate inepte argumentatur; sextam enim loco tertiae signandam fuisse affirmat. Nemo profecto ignorat quanta sit inter Indictiones

(*a*) Murat. antiqu. Ital. Diss. 5 pag. 195 Neap. 1752.
(*b*) Murat. antiq. Ital. Diss. 5 pag. 195 Nap. 1792.
(*c*) Codice diplomatico arabo. Tom. 3 pag. 626.

varietas, ne dicam incertitudo: neque Regni Italici Indictiones bene conveniunt cum iis, quae in aliis Europae regionibus vigebant (*a*).

Quod vero literam, de qua agimus, invenire non potuit Januarius Grande (*b*), nihil obstat; abunde enim demonstravimus literam illam penes Pomponium Laetum aut incuria deperditam, aut quocumque alio modo abreptam fuisse, nisi studiis repetitis illorum, qui generali Archivo praesunt, litera autographa inveniri tandem poterit. Nemo autem ignorat quod apud civitatis nostrae conventus (seu monasteria mavis dicere) monumenta rerum gestarum, Familiarum tituli, venditiones, privilegia, et ea omnia, quae ad posteritatis memoriam spectant, reposita tanquam in loco sacro plerumque fuerunt: quod etiam videri poterit apud innumeros antiquitatis scriptores; ex eodem enim fonte haec omnia pene fluxerunt. Tandem Januarius Grande sola Capacii et historiae civilis scriptoris auctoritate fultus falsitatis literam arguit; sed ipsemet Grande in eodem opere Capacii historiam mendis innumeris repertam affirmat (*c*): et historiae civilis auctor dum Capacii fidem amplectitur, cognominum usum tunc temporis minime fuisse falso asserit, ut deinde demonstrabimus (*d*).

(*a*) Murat. ann. d' Italia Indizione XIV. tom. 6 pag. 28 Nap. 1752, et Disser. 34 Nap. 1783 — *La qual varietà molto alle volte c' intrica a stabilire il vero anno dei diplomi* etc. pag. 41.

(*b*) Grande anno 1756 opus suum publici juris fecit.

(*c*) Grande par. 3. pag. 183 — Napoli 3756 —

(*d*) Storia civile di Nap. lib. 8 cap. 1. *La Carta rapportata da Lelio*

CAPUT IV.

Recentiorum aliquot scientiae diplomaticae cultorum argumenta in medium proferuntur.

Novissimis hisce temporibus praeclarissimi historicae veritatis cultores, fraudis vero inimici, literae, de qua agimus, antiquitatem in dubium revocant. Operae igitur pretium erit argumenta hinc inde petita in medium proferre ut magis magisque litera haec tot tantisque difficultatibus affecta, sarta atque tecta, uti dicunt, in lucem veniat.

Primo igitur Mundum Beneventanum Episcopum fuisse affirmant, verum quod Ecclesiae Beneventanae praepositus eo tempore fuerit falsitatis arguunt.

Nos vero coctam jam crambem recoquere supervacaneum putamus; nam ea, quae cap. 2. reposuimus hanc dubitandi rationem omnino refellunt.

Mundus Archiepiscopus Beneventanus ac Sipontinus IV. floruit anno Domini MIX. uti legitur in

---

Marchese fu grossamente supposta, perchè in quei tempi l' uso de' cognomi non erasi ripigliato. Fu già da molti notato che il Giannone si occupò nella sua storia alla sola giurisprudenza della sua patria, e poco conto fece de' veri fatti della storia medesima, come saggiamente avvertirono gli ultimi scrittori della istoria italiana, e fra gli altri l'erudito editore del viaggio del Cavaliere Inglese Errico Swiburne nelle due Sicilie. Tom. II. pag. 139 Parigi 1685 = *Souvent il ne fait que transcrire des passages entiers d' autres auteurs; et faut d' avoir consulté de renseignements authentiques, il décide sans fondement.*

Breviario Chronologico *MS.* quod servatur in archivo Archiepiscopali Beneventanae Ecclesiae.

Attamen (instant recentiores) longobardico charactere literam hanc scriptam fuisse credat Iudaeus Apella, nam tunc temporis Diplomata solum longobardico charactere scripta reperiuntur. Nos vero doctissimos censores facile a proposito aberrare demonstrabimus; ubi enim reperies hanc scribendi legem diplomata tantummodo respexisse? Adde etiam quia usus invaluit quod codex aut scriptum quodcumque longobardicum vulgo dicebatur. Consules vero publica autoritate pollentes dum Beneventi Principi, vel Episcopo, Principis absentia (uti demonstravimus) vices gerenti scribunt, non alio, quam Longobardico charactere literam signare jure debebant; Longobardorum enim imperio Beneventum obediebat. Verum nimis fidenter asseritur, nullum, praeter diplomata, scriptum extitisse, saeculo undecimo ineunte, Longobardico charactere signatum; viri enim graves et eruditi dudum conquesti fuerunt de nimia librorum et *MS.* copia, quae usque adhuc latet, et nonnisi multis laboribus et expensis ex densa nocte in lucem prodire facile poterit.

Tandem ad cognominum rationem recurrunt, itaut cum Horatio dici possit: *si naturam expellas furca, tamen usque recurret* (*a*). Ajunt igitur saeculo undecimo ineunte Cognominum usum nullo modo usurpatum fuisse. Nos vero, doctissimorum virorum pace, praeclarissimi Mabillonii auctoritatem amplectimur. *Sub*

(*a*) Lib. I. Ep. 10 —

fine (sic legitur lib. II. cap. 7). *saeculi decimi, sed maxime saeculo undecimo ineunte cognominum usum frequentari cepisse.*

Muratorius item Mabillonii sententiam confirmat; subjungit enim = *Dello stesso parere prima di lui era stato il Ducange, Papebrochio, il Buchè, ed altri.* Deinde addit = *Chiunque pertanto è versato nelle antiche memorie, confesserà, che appunto circa quei tempi introdotto fu in Italia l'uso de' cognomi. Per conseguente grossolanamente s' ingannano coloro, che pensano di averli trovati nei secoli antecedenti, per incensare le illustri famiglie de' nostri tempi; e sono imposture, o sogni quei che si spacciano in alcune genealogie, di modo che regolarmente s' ha da tenere per falsa qualunque carta che ce li rappresenta prima del mille* (*a*). Denique dissertatione quadragesima secunda haec habet pag. 255 = *Pongo io dunquè che alcun poco nel secolo X. più nell' undecimo, e in gran copia nel dodicesimo si dilatò, e fissò l' uso di essi cognomi.* Et ibidem *pag. 58 = Certo è che almeno nel secolo decimo non pochi de' nobili Veneziani ai loro nomi aggiugnevano il cognome* (*b*). Ea autem quae Franciscus Sansovino reposuit in suo opere de Italiae Familiarum Splendore, respuenda merito censemus, tanquam fabulis et figmentis composita.

Verum Cognominum usus etiam saeculo nono in-

(*a*) Diss. 41 pag. 239 — Nap. 1783 —

(*b*) Cronica di Andrea Dandolo riportata da Muratori.

valuit penes Saracenorum gentem, uti refert Elmacinus: ait enim *Fuldus anno Christi 817 = primus habuit in epistolarum inscriptionibus Cognomina et Agnomina. Ante enim scribere solebant homines in inscriptionibus ab N. filio N. etc...* (*a*). En tibi etiam Capyciorum cognomen penes patriae historiae scriptores: *Bartholomaeus Cacapice* (ita tunc temporis familia Capyciorum aliquoties scripta reperitur) *dictus Piscicelli, qui vocatur Zurlo, filius quondam Domini Petri Cacapice dictus Piscicelli:* scriptum undecimi saeculi sub Constantino Magno, idest Monomaco, aut Constantino Duca, quod Carolus Borrelli, quem honoris causa nomino, in lucem prodidit, ubi varia Agnominum, et Cognominum notitia continetur, et inter ea *Petrus Cacapice frater Alexandri Cacapice Comestabulus Neapolis*, uti videre est in ipsius opere (*b*).

Discant literae nostrae censores quam difficile sit sententiam dicere de iis quae apud varias gentes aut moribus, aut negotiorum copia, aut quocumque alio modo in usu fuisse reperiuntur.

(*a*) Cronica di Andrea Dandolo presso Muratori.
Tutino = origine de' Seggi Cap. II.

(*b*) Vindiciae Neapolitanae Nobilitatis in fine. Registro dell' anno 1322. Lit. A. fol. 13 ad 65 —

CAPUT V.

Argumenta extrinsecus petita, quibus magis magisque literae, de qua agitur, veritas innotescit.

Fidericus I, Henricus, Fidericus II, et Manfredus in primis Reges nihil habuere Capycia gente carius. Fiderico in Syriam proficiscenti multi ex Capyciis equites praesto fuere, eâque in expeditione strenue se gesserunt; itaut saepe invenies Capycios Provinciarum praesides, copiarum Duces, et auratae militiae equites (*a*).

(*a*) Archivio della Zecca: Registro di Federico II. degli anni 1232; e 1140. In esso sotto li seguenti fogli esistono per la famiglia Capece le carte che qui sotto si notano.

Pagina 3 a t. = Giacomo Capece Senescallo, e fedele del Re, ordine acciò raccolga il danaro dovuto dai Baglivi, e lo passi di mano in mano ad Ugone Inglese abitante in Palermo per le spese necessarie alla moglie, e famiglia di esso Imperatore.

Pag. 27 a t. = Giacomo Capece = ordine al Collettore del danaro del Giustiziarato di Terra di Lavoro, e Principato, acciò somministri il danaro necessario per alcune spese da farsi da detto Giacomo Capece —

Pag. 42 a t. = Fra i Baroni del Giustiziarato di Terra di Lavoro, ai quali erasi affidata la custodia dei prigionieri Lombardi, e degli assediati di Padova vien descritto Filippo Capece qual custode di Guglielmo figlio di Aldigiero assediato di Padova.

Pag. 44 a t. = Fra i Baroni del Giustiziarato di Terra d'Otranto custodi de' prigionieri, e degli assediati si descrive Johannes Cacapice —

Pag. 55 a t. = ordine al già detto Giacomo Capece acciò permetta per una sol volta che un tal Marzio vegga, e parli colla figlia di Alberigo di Romania, in modo però che il discorso fosse da essi tenuto in presenza di più persone, e sia quindi fedelmente riferito ad esso Imperatore —

Demum Manfredo belli fortuna non sine gloria peremto, Corradinus ex fratre nepos regnum armis repetendum statuit. Tunc multi ex Capyciorum familia, pristinae fidei erga Svevos Reges memores, Principis castra secuti sunt. Fuso autem Corradini exercitu, Carolus adeo in eos excanduit, ut usque ad internicionem eos iusserit persequendos (*a*).

Plerique historiae Scriptores fidenter asserunt quod Capycii Regis iram effugere tentantes, Italiae urbes Gibellinorum partibus addictas petierunt, et Capyciorum nomine sublato, Minutolo, Scondito, Latro, Aprano, Zurlo, Piscicello, Galeota, Tomacelli, Cibo, Bozzuto, Paparella, Pizzuto, Baraballa, appellari maluerunt. Eandem nos sententiam secuti sumus in nostro opere italice scripto ex mandato Regis Ferdinandi: attamen re melius perpensa, et archivorum monumen-

---

Pag. 83 = Lo stesso Giacomo Capece destinato dal Sovrano a ricevere il danaro raccolto dai Baglivi, in luogo, e per la morte di Giovanni di Amato.

Pag. 95 = Detto Giacomo per lo stesso carico —

Pag. 97 a t. = Lo stesso Giacomo Capece qual custode della figlia di Alberigo di Romania ribelle, per le spese necessarie per lo vitto, ed abiti della medesima.

Pag. 102 a t. = Giovanni Capece incaricato dall'Ammiraglio delle Regie Galere presso Napoli della ricezione di cantara 50 di pece per uso delle stesse.

Repertorj antichi = *Registri esistenti 1662* — Lit. O. f. 84 a t. Marino Capece, et Corrado fratri suo jussu Regis Manfredi solvuntur unciae decem —

Fol. 68 a t. = Fra i Baroni del Regno si nota Joannes Capicius.

1269 — Liber donationum fol. 9 a t. = Marinus Capicius possidet bona in Villis Olivolae, et Casingiani de tenimento Aversae.

(*a*) Barth. de Neocastro His. Sic. cap. 2. pag. 1025. tom. 13.

tis trutinâ expensis, Capyciorum cognomina aliunde repetenda esse statuimus, uti infra dicendum erit. Juvat nunc ex Nicolai de Iamsilla historia, uti apud Muratorium extat, pauca delibare, ea scilicet quae Capyciorum gentem apprime respiciunt = *Recessit ergo Princeps* (Manfredus) *de Acerris ante mediam noctem comitante eo Comite Acerrarum cognato suo usque ad quoddam Castrum, quod Mollianum vocatur; erantque in comitiva Principis duo juvenes fratres nobiles Neapolitani, quorum alter* MARINUS CAPECE, *alter vero* CORRADUS *vocatur. Ji quia Castrum quoddam, et vicos patrimoniali jure habebant, sciebant ex assuetudine locorum illorum qualitates, et transitus, per quos Princeps salubriter esset transiturus. Ducatu ergo illorum duorum juvenum Princeps cum comitiva sua etc. etc*... Deinde loco citato = *Princeps, et sui divertentes a Civitate Avellini ad castrum Atripaldae, quod est praedictorum* MARINI *et* CORRADI, *quasi ante horam tertiam salubriter pervenerunt.*

Fuit autem Princeps in Castro ipso cum magna reverentia, et honore exceptus, pransusque est ibi Princeps aliquantulum, uxoribus PRAEDICTORUM FRATRUM, *nobilibus quidem, et speciosis mulieribus, ad utriusque Principis latus in mensa sedentibus, viris suis honestam earum cum Principe refectionem gratam satis habentibus, et ad honorem sibi maximum reputantibus, quod cum eis Imperatoris filius prandium participare dignatus esset. In quo quidem Princeps nihil de suae sibi magnitu-*

4

dinis honore diminuit, cum in hoc quaedam videatur esse praerogativa dominarum, ut plura circa eas ad honorificentiam veniant quae circa viros quantumcumque magnos fortassis dedecere viderentur (*a*).

Sismondius, quem honoris causa nomino, in celeberrima Italiae Rerumpublicarum historia, hunc locum belle, et festive notavit, utpote illum ex quo evidenter eruitur Matronarum cultum, seu mavis dicere morum elegantiam, etiam apud Italos antiquitus fuisse (*b*). Nos vero ex allato Iamsillae testimonio, non solum Capyciorum fidei erga Svevos Reges argumentum habemus, verum etiam facile colligimus quam potentissimi fuerint Capycii, et quam magnis opibus praediti, itaut mirum videri non possit quod undecimo ineunte saeculo, Consulatum Reipublicae Neapolitanae Ginellus gessisset.

Pomponius tandem Laeto ex oppido Calabriae, quod vulgo *Amendolara* appellatur, oriundus, neque cognatione, neque consuetudine, neque officiis, Capyciorum, Brancacciorum, et de Januario familiis addictus fuit; ac proinde literam, de qua agimus, si publici juris fecit, id tantummodo antiquitatis studio fecisse dicendum; Pomponii enim ingenium nunquam servile, sed liberale, et ingenuum fuisse innumera illius aetatis monumenta testantur.

(*a*) Raccolta de' Scrittori Napoletani. Vol. VI. pag. 45 e 46 apud Gravier Nap. 1770 —

(*b*) Sismondi Ist. Republ. Ital. Tom. III. pag. 158 della prima edizione = C'est la premiere fois que nous trouvons dans les historiens contemporains les maximes chevaleresque de la galanterie, qui peut être avoint été admises plus tard en Italie, que dans le Nord —

CAPUT VI.

Ex locupleti antiquitatis penu Capyciorum cognomina in lucem veniunt.

In hac lucubrationis nostrae parte familiarum scriptorum sententiam secuti, cognominum varietates aliquando ab exteriori corporis vitio, aliquando a Patria, vel a dominatu ortum habuisse procul dubio credimus, itaut supervacaneum putemus in hac re tantisper immorari (*a*).

Conijcere tamen inde possumus quam male opinentur ii, qui Capyciorum cognomina aliunde repetenda fuisse scripserunt; ajunt enim quod Capycii, (uti antea notavimus) Regis Caroli I. Andegavensis iram effugere tentantes, varias Italiae urbes Gibellinorum partibus addictas petierint, sublato Capyciorum nomine. Verum ex innumeris Neapolitanae historiae monumentis facile eruitur Capyciorum cognomina antiquitus extitisse, uti colligitur praesertim ex Regio Archivo (Registro dell'anno 1322 lit. A. fol. 13 ad 63) ubi multa Capyciorum cognomina Piscicello, Zurlo, etc. etc... reperiuntur undecimo praesertim saeculo, ac proinde longe ante Regum Andegavensium dominatum.

Facile tandem erit Capyciorum cognomina partim ab exteriori corporis forma repetere, uti *Minutolo* quasi

(*a*) Vide Borrello Vind. Neap. Nobil. in fine, e Grande pag. 267, 271, e 282 — ediz. di Napoli 1756 — Muratori etiam plurimis in locis —

*

minusculus (aliquando minor); *Bozzuto* ab aliqua frontis nota, quae vulgo *bozze* appellautur; *Paparella* item a quodam corporis incessu (*a*). Alterum de *Monaco* Capyciorum cognomen forsitan derivari poterit a quodam ejusdem gentis Religiosorum ordinibus addicto. Partim quoque nomen retinuerunt illius, qui aut familiae primus auctor fuit, aut quocumque modo clarus, uti *Galeotto*, unde *Galeota*, et *Tomacelli* a quodam ejusdem familiae filio quasi *Thomae filius*, aut *parvulus Thomas.* Ad hanc *Tomacelli* familiam perillustris *Ciborum* familia pertinet, uti ex multis antiquitatis monumentis, et summae fidei Scriptoribus colligitur (*b*); et praesertim ex praeclarissimo Ferdinando de Marra, qui Scipionis Capycii opera in lucem iterum edidit anno 1594 Neapoli apud Joannem Jacobum Carlinum, ubi legitur: *Capycii Cibo illustrissimi, et excellentissimi Massae et Carrarae Principis, qui Liguriae partem obtinet non exiguam, nec*

(*a*) Vide Caroli III. Registrum anni 1381 f. 369 ubi habes *Cathertua de Ubertis uxor Andrilli Capicii dicti Paparelli.*

(*b*) Filippo Scaglia sotto Papa Bonifacio IX.: Il Vescovo di Concordia nella orazione recitata per li funerali di Innocenzio VIII. nel 1492, discese (egli dice) dall'antichissima, e nobile famiglia de' *Cibi* la quale appresso i Napolitani è ancora illustre sotto il cognome di Tomacelli.

Francesco Novello nella sua opera dedicata al Cardinale Giulio de Medici, che poi fu Clemente VII. assicura che Tomacelli, e Cibo siano la stessa famiglia. Anche i moderni Scrittori Panvinio, Guicciardino, Ruscelli, e Sansovino sono dell' istesso sentimento. Finalmente l' ultimo Principe di Massa scrivendo al Marchese Chiusano della famiglia Capece si gloria di avere una parte così antica fra la nobiltà di Napoli. La lettera originale si conserva nell'archivio de' Capeci esistente ora, dopo l' abolizione de' Sedili, presso il Notaro Siciliano. —

ullius inter mortales addictus est imperio ; ditionem omnem suam solus tuetur, popularium suorum dominus vitae necisque, et pecunias etiam pubblicas (quod ad absolutam liberi imperii rationem deesse videbatur) sua signatas effigie, gentilibusque notis cudere consueverit: literas ad Capycios nostros dedit humanissimas, quibus petiit Capyciani juris, ac sortis fieri se quoque participem, pecuniam quandamcumque juberetur, in comunem Montem collaturus. Multiplex hoc Capyciorum cognomen partim etiam ex quadam vivendi consuetudine repetendum, uti *Scondito* quasi *absconditus* (a) ; partim ad loca refertur, uti *Piscicelli*, et *Zurlo*, possessores aliquorum locorum in Terra Hydrunti existentium, ubi parvorum piscium copia abundat, qui vulgo *Zurlo* appellantur, una enim est familia *Zurlo*, et *Piscicello* (b); *Latro* denique a Civitatis *Alatro* dominatu, uti colligitur ex venditione alicujus fundi, quod Ioannes *Capece di Elatro* emit, uti videri est in Archivo Civitatis *Suessanae*, vulgo *Sessa* sub anno 1240; Alatri namque civitas Alatrium latine appellatur. Nobis vero anno circiter septuagesimo transacti saeculi Romam petentibus supra hujuscae civi-

(a) Fuscus Sconditus filius, et haeres cum beneficio Siri Ioannis Capice dicti Sconditi. Registro della Regina Giovanna II. del 1422 — primae indictionis f. 146 —

(b) Carlo Borello da documenti indubitati prova *che il cognome Carafa sia stato soprannome aggiunto al Cognome Caracciolo ; come ancora Piscicelli che prese il Cognome Zurlo ; i cognomi Scondito, Latro, Aprano ed altri furono soprannomi de' Capeci, e rimasero poi per Cognomi, come i Piccolomini, gli Acquaviva* etc. Vind: Nobilit: Neap: Tit: I. nel discorso de' nomi delle famiglie.

tatis portam Leonis figura sese obtulit, quod in Capyciorum familia gentilitium esse nemo ignorat. Alterum habemus Alatri testimonium in Regio S. Augustini templo, ubi in aliqua marmorei sepulcri parte legitur. *Hic jacent corpora nobilium personarum Domini Iacobi Capycii de Alatride Neapoli militis dicti Banderari qui obiit an: Domini.* 1362 (Recco della famiglia Latro pag. 146 Napoli 1719). In registro etiam Caroli II. (1292 f. 269 nella Zecca) legitur. = *Ioannes dictus Latro nobilis, et familiaris noster de dicta platea possideat nonnulla bona etc.*

Parcendum autem mihi si in hoc cognomine paulisper immorabor; *Franciscus* enim *Capece Latro*, quem familiae, doctrinae, ac honoris gratia nomino, inter Neapolitanae historiae Scriptores summa cum laude designatus, *Latro* familiam aliunde repetendam censuit, scilicet a Petro Latro, cujus memoriam habemus apud Baronium anno Christi – 1100. (*a*). *Latro* tamen cognomen ex possessione civitatis Alatro desumptum affirmat, ait enim = *Da questi due fratelli* (Raone e Pietro) *sono discesi tutti coloro che sono per l'addietro stati, e sono al presente di tal progenie... Signori, oltre di Teano, e di Alatro negli Ernici, onde agevolmente trassero il loro cognome etc....* (*b*). Nihil ergo differt inter nostram, et historici praeclarissimi opinionem; nos enim ex

(*a*) Annali fol. 1118, 126, e 128 —

(*b*) Capece Latro — della Città e Regno di Napoli Tom. 2 par. 2 pag. 44 Napoli 1769 —

possessione Civitatis *Alatri* cognomen desumptum probavimus. Verum Auctor noster Latro familiam Capyciorum generi adscriptam antiquitus fuisse in dubium revocat; suspicatur enim, Baronii auctoritate fultus, Petrum illum Latro, qui Gelasii II. Romani Pontificis contra Imperatorem Henricum IV. defensionem suscepit, ex Normandorum gente ortum habuisse, ac proinde aut quadam cognatione, aut alio quocumque modo posterioribus temporibus inter Capyciorum cognomina Latro etiam reperiri. Hujusce autem originis veritatem timide, et diffidenter attingit; ait enim. = *Di quello che ho scritto non aver potuto altro rinvenire fra le nostre antiche memorie in gran parte confuse ed oscurate da tante guerre* (*a*).

Lucubrationi vero nostrae hujusce Scriptoris opinio, qualiscunque ea sit, nihil obstat; Capyciorum enim cognomen saeculi undecimi initio extitisse ex allata Pomponii Laeti auctoritate probandum suscepimus, ac proinde si una ex Capyciorum familia, aut antiquitus, aut deinde quocunque modo inter Capycios numeretur, extra rem, de qua agitur, erit. Nobis vero dum hujusce lucubrationi manum summam imponere statutum in animo fuit, non opinionibus per manus traditis, neque scriptoribus suspectae fidei, sed monumentis principis auctoritate integre in Archivis servatis fidem nostram repositam habuimus. In Registro itaque Caroli II. (1292 f. 269. Archivio della Zecca) legitur = *Ioannes dictus Latro nobilis, et fa-*

(*a*) Capece Latro — della Città e Regno di Nap. Tom. 2 par. 2 pag. 1 e 2.

miliaris noster de dicta platea (vulgo Piazza Capuana, seu Sedile Capuano) *possideat multa bona ec.* Ioannes igitur *Latro* dictus Caroli II nobilis, et familiaris de *dicta platea* (Piazza Capuana) inter Capycios locum habebat, nam *Sedilis* (uti ajunt Capuani), Capyciorum, et Caracciolorum familiae tantum honores antiquitus habebant. Hoc unico testimonio, si caetera deessent, cognomen *Latro* Capyciorum familiae dandum procul dubio erit. Nobis vero haud injucundum foret genus trahere ab illo Petro Latro, cujus mentio apud Baronium habetur, aut Corradum Capece ex Imperatoris Fiderici II. familia oriundum credere, uti videri poterit apud praeclarissimum historiarum Italiae auctorem Ioannem Villani quem nobis innuit Cl:, et Nobilis vir Marchio Castri Lentini Thomas Gargallo (*a*). Dignitati verum familiae *Latro*

(*a*) Havendo il Re Carlo havuta la vittoria contra Corradino, tutte le terre del Regno, ch'erano rubellate, si venderono senza contrasto: et egli molti caporali, che l'havevano rubellate fece morir di mala morte; e in Sicilia mandò il Conte Guido di Monforte, et Messer Filippo suo fratello, et Messer Guglielmo di Belmonte con grande armata di galee, et con gran compagnia di Cavalieri Francesi per racquistare le terre di Sicilia, le quali s'erano rubellate, nelle quali era Capitano M. Corrado Capeccie de' discendenti dello Imperadore Federico, il quale con seguito de' suoi rubelli, manteneva le terre contro il Re Carlo. Come detti Signori furono in Sicilia, racquistarono molte delle terre rubellate, et presero il detto Corrado, il qual cavatigli gli occhi fecero impiccare, et così fecero a molti rubellati del re, et morti, che furono, tutte le terre dell'isola tornarono alla divotione del re, et ciò fatto riformò il re Carlo il reame di Sicilia et di Puglia, premiando i suoi Baroni, che l'havevano servito, di terre et signore = Passaggio estratto dal *Pecorone* di ser Giovanni Fiorentino della rarissima edizione di Milano presso Giovan Antonio degli Antoni

et Capyciorum omnium rectius consulendum credimus si Petri Latro, et Corradi Capycii memoriam, uti apud historiarum Scriptores habetur, integram servemus nullius partibus addicti, et propositi nostri constanter tenaces.

Eodem modo *Aprano* dicitur Capyciorum familia, quae Terram *Aprano* in Agro Aversano possidebat (*a*); nec non Capyciorum *della Somaglia* inter quos praeclarae recordationis Iulius S. R. E. Cardinalis novissimis hisce temporibus Leonis XII. a Secretis summa cum laude numerandus. Supervacaneum autem erit hoc loco temporum illorum varietates, fortunaeque vicissitudines, Guelfis, et Gibellinis inter se dissidentibus, repetere, ex quo familiae nonnullae ex una in alteram Civitatem domicilium, et habitationem commutarunt (*b*). — *Pezzuto* item ex dominatu Terrae *Pizzuto* in Provincia Campaniae Felicis, vulgo *Terra*

---

posseduta dal Marchese di Castellentini = giornata 25 Novella 2 pag. 207 retro — *Notandum vero hic erit, quod, in hoc opere, ubi de rebus medii aevi agitur ex historia Italiae Cl. Ioannis Villani desumpta pene omnia fuerunt. Muratori vero oblitus fortasse operis Nicolai Iamsillae, cujus chronicon publici juris fecit, in tertiodecimo rerum Italicarum volumine Mediolani an. 1729 loco Currado Capece, uti legitur apud Iansillam, Currado notavit detto Caputo d'Antiochia, nescio an id typographi errori, aut duplicis Corradi ex Antiochia et Corradi Capycii nobilis de Neapoli tribuendum sit.*

(*a*) Registro Caroli III. an. 1381 fol. 286 —

(*b*) Muratori dissert. 42 pag. 273 — Nap. 1783 = Quelle famiglie che con particolari cognomi si trovano in diverse Città, possiamo fondatamente credere che da una passassero in altra, e propagassero in più luoghi la loro schiatta. Il che particolarmente avvenne allorchè infuriavano le fazioni de' Guelfi, e de' Gibellini.

di Lavoro existentis, ad Capyciorum familiam sine dubio pertinet, uti videri poterit penes registrum Ioannae Secundae anni 1425 primae indictionis f. 383.

Alterum Capyciorum cognomen mihi suppeditat Sepulcrum in Cathedrali Neapolitana Ecclesia, ubi legitur: *Hic jacet corpus mag: et egregi viri Domini Henrici Capice dicti Baraballi de Neapoli: qui obiit an. Domini 1360, die I. Ianuarii 5 ind.*, quod (ni fallor) primum mihi videtur Capyciorum *Baraballa* testimonium, forsan a velocitate, qua agens in choreis agilius movebatur. Alteram etiam hujusce familiae memoriam habemus ex registro Joannae Secundae anni 1423 fol. 133 a tergo, et fol. 235, ubi *Mariella Scripanno vidua relicta quondam Domini Domini Antonii Baraballi de Neapoli mota maturo amore, non quod ipsa teneatur, pro affectione sanguinis donavit* etc. *pro maritagio Verdellae, et Beatricis Latrae uncias auri 800 cum pactu etc.* Alterum Capyciorum cognomen de Monacho habemus ex Registro Caroli I. Andegavensis, prout videri potest in Capitulo sequenti nota (*b*).

Ex innumeris etiam regii Archivi monumentis abunde colligitur eandem fuisse in Caracciolorum familia cognominum originem, scilicet *Giov. Caracciolo detto Laboratore, Matteo Caracciolo detto Barba etc.* (*a*).

Demum ex Regio Archivo, *Fasciculo 48 fol. 147*, hujusce rei veritas luce clarior innotescit, ubi nobiles viri Feudorum domini nominatim reperiuntur.

(*a*) Registro 1300 Lit. E f. 78 a t. et 1301, 1309, 1326, 1333 ec. ec. —

CAPUT VII.

Capyciorum memoria apud Siciliae Scriptores.

Corradus Capycius Atripaldae, S. Martini, aliorumque oppidorum dominus, Manfredo et Corradino Regnantibus, Siciliae Pro-rex, atque exercitus Imperator fuit. In suos Reges fide clarissimus, Pisana classe comparata, Siciliam contra Regem Carolum I. in fidem Corradini firmavit, et Regnum Neapolitanum adeo hostiliter invasit, ut Gallorum imperium in summum discrimen adduxerit. Fuso tandem Corradini exercitu, Sicilia, Corradi opera, in extinti Regis fide stetit, sed tandem advenientibus Caroli copiis, ad supplicium ire maluit quam fidem Corradino datam fallere (*a*).

Hujusce Corradi memoriam habemus apud clarissimos Siciliae Scriptores Fazellum, et Amico, qui in Topographico Lexicon ubi de *Centuripe* agitur (*b*). *Floruit* (inquit) *Centuripe sub Normannis, atque in Rogerii utriusque diplomatis saepissime memoratur. At Fridericus Caesar Siciliae Rex, quod ab eo rebellasset, illam excidit, incolasque Augustam ab se instauratam deportavit. Arci tamen pepercisse inde eruo, quod in ea haud multo post sub Carolo An-*

(*a*) Vide etiam Aretino Lib. III. e IV. f. 42 a 114 Colennuccio = Ist. del Regno; Biondo lib. XVIII. f. 186, et 310; Saba Malaspina lib. 4 cap. 18 pag. 854.

(*b*) Tom. I pag. 169, et sequ. Panormi 1757 —

degavensi diu sese Conradus Capitius strenuissimus Neapolitanus eques Conradini partes tuendo, defendit, uti in historia dictum. Post haec, ait Fazellus, Centoripem Guido Caroli Legatus expugnat, et capto Conrado funditus etiam delet. Deinde *de turri quae appellatur turris Corradini* (hodie major paraecialis Ecclesiae Centoripae) vulgo ferunt, quod *inibi Conradinus Rex inhabitaverit, quod fabulosum omnino, nusquam enim Princeps hic Siciliam vidit; sed in Conradi Capitii memoriam potius, qui Conradino contra Carolum adhaeserat, uti innui, nomen illud turri fuisse appictum affirmo.*

Ex hoc summae fidei Siciliae Scriptorum testimonio facile eruitur, quod in summo errore versantur scriptores Guelforum partibus addicti dum Conradum iram Caroli evasisse asserunt, quod certe exequi non potuit; Guido enim Caroli legatus, uti supra notavimus, *capto Conrado Centoripem* expugnavit. Bona item, quae fuerunt Conradi Capitii *Rex Carolus I. donat Joanni de Sole, bona, quae fuerunt Conradi Capycii in Capua, et Calvo.* Constat etiam ex eodem registro quod missi fuerunt ab eodem Rege *Philippus de Glis, et Guglielmus Exendardus Capitanei Siciliae ad esterminium quondam Conradi Capycii.*

Tota etiam errant via Recco (*a*) aliique Neapolitanae historiae Scriptores, qui asserunt Carolum in duos tantummodo fratres *Conradum* et *Marinum* saevisse; ex Regio enim Archivo in promptu habemus

(*a*) Recco pag. 119.

multorum Capyciorum nomina, qui sub Carolo I. vitam miserrime amiserunt, et praecipue Jacobi, de quo legitur: *Jacoba Tornuparda Uxor q. Jacobi Capicii de Neapoli, qui fuit capite detruncatus de mandato Regis, petit dotam.* Vide Registrorum documenta ex Regio Archivo desumpta, uti infra notavimus (*a*).

(*a*) Repertorj antichi = Registri esistenti cominciando da Carlo I d'Angiò —

Anno 1269 Lit. D. f. primo a t. = Simon de Bagat legat in testamento filio suo multa bona, et inter ea domum, quae fuit Marini Capice sitam Neapoli.

— Anno 1269 f. 258 = Rex Carolus I. donat Ioanni de Sole bona, quae fuerunt Corradi Capicii in Capua et Calvo —

— Anno 1270. Lit. A. fol. 152 — Jacoba Tornuparda uxor qnondam Jacobi Capicis de Neap., qui fuit capite detruncatus de mandato Regis petit dotam. —

— Anno 1271 Lit. B. f. 36 a t. Stephanus Bagottus possidet quaedam bona Neapoli, et in eis domum, quae fuit Marini Capicis —

— Anno 1271 f. 88 = Blancaffora de Molinis relicta quondam Corradi Capicis proditoris, petit dotam. —

Anno 1271 f. 131 a t. = Philippus de Glis, et Guglielmus Extendardus Capitanei Siciliae ad exterminium qnondam *Corradi Capicis.*

— Anno 1291 — Lit. A. f. 262 — Nobilis vir Petrus de Suria habet donationis titulo domum olim *Marini Capicis* sitam Neapoli prope plateam Capuanam —

— Anno 1295 Lit. B. f. 250 — Theodora uxor Tomasii Judicis Riccardi de Amalfia filia quondam Tadei Capice de Neapoli Militis —

— Anno 1295 Lit. B. f. 297 a t. — Marinus Capice de Neapoli miles compromittit litem de Feudalibus.

— Anno 1305 e 1306 Lit. C. f. 173 a t. Andreas Ajossa relicta quondam Riccardi Capice de Neapoli.

— Anno 1306 — Lit. C. f. 223 = Marinus, Corradus, Petrus, Thomasius, et Antonella filii quondam Jacobi Capicis de Monacho de Neapoli qui adhaesit Corradino; Marinus et Jacobus pater supradicti Jacobi, adhaesit Petro Illustri Regi Aragonum; et fuerunt declarati rubelles; habent remissionem infamiae, et maculae incursae ob praedictas causas —

Unum autem ex iis selegimus, ubi *restitutio ad honores* Capyciorum familiae habetur, atque in hujusce capitis finem reposuimus. —

1º Uffizio = *Napoli 8 Giugno 1830.*

» Grande Archivio.

» Si certifica come riconosciuto il Registro del Se-
» renissimo Re Carlo II d'Angiò segnato 1308 Let-
» tera C. che in questo primo Ufizio si conserva,

— Anno 1307 Lit. B. f. 26 a t. = Marino, Corrado, Petro, Thomasio, et Antonellae filiis quondam Jacobi Capicis de Neap: Militis, et quondam Marinus Capice de Monacho de Neap. Avus ipsorum remittitur infamiae nota ob rebellionem dicti Marini, quod adhaesit Corradino de Alemania, et dicti Jacobi, qui partes Petri Aragonum Regis post rebellem insulam Siciliae sequutus fuit. —

— Anno 1308, e 1309 Lit. C. f. 3 a t. = Marinus miles, Corradus, Petrus, Thomasius, et Antonella filii quondam Jacobi Capicis de Monacho de Neapoli Militis nati quondam Marini Militis habent abolitionem infamiae notae ex proditione patris. —

Operae pretium etiam putamus nonnullas Capyciorum memorias ex opere Tutini desumptas hic denno in lucem edere = Inter scripturas quae in Archivo S. Gaudiosi continebantur, legitur *Anno Domini 1196* imperante Domino Henrico VI Romanorum Imperatore die X. M. Martii 14 indict: Neap: Domina Agnesina Rumba Venerabilis Abatissa Monasterii S. Mariae ad Agnone una cum cuncta congregatione puellarum eius concedunt Domino Lanzillo *Cacapice* Scondito domum cum curticella sitam prope Toccum S. Martini Regionis Capuanae cum omnibus adiacentibus suis. Tutino pag. 31 e 42 Nap. 1644 —

In Monasterio etiam antiquitus dicto S. Marcellino apud Tutinum notatur alterum instrumentum sub anno Domini 1280 regnante Domino Nostro Carolo Dei gratia etc. etc. etc. ubi eliguntur Iudices Nobiles, et discreti viri Philippus Protonobilissimus, Thomasius *Latro*, et Gregorius Mastarum. Tutino pag. 213 ejusd. editionis.

» nel medesimo al foglio 62 è registrato Reale Indulto
» del tenore seguente =

» Carolus Secundus etc. Universis presentis indulti
» seriem inspecturis tam presentibus quam futuris. Be-
» nigna clementia ornatus Principum salusque firmis-
» sima tollit culpam remittit offensam et quo fit ut
» non solum peccantium excessus aboleat set illorum
» et multo facilius quos aliene premit culpe conta-
» gium defectus abstergat. Sane pro parte Marini mi-
» litis Corradi Petri Thomasii et Antonelle filiorum
» et heredum quondam Iacobi Capicis de Monacho de
» Neapoli militis fuit nostre nuper expositum majestati
» quod pro eo quod quondam Marinus Capice de Mo-
» nacho de Neapoli miles pater Iacobi supradicti Avus
» ac subsequenter idem Iacobus pater exponentium eo-
» rumdem fuere de notoria proditione notati ea vi-
» delicet de causa quod dictus Marinus Avus Corra-
» dino de Alamania quando venit in Regnum et de-
» mum prefatus Iacobus pater ipsorum exponentium
» domino petro Illustri Regi Aragonum post rebellio-
» nem Insule Sicilie ac successive eiusdem Regis fi-
» liis hostibus tunc sante Romane Matris Ecclesie Clare
» memorie domini patris nostri nostrisque pariter ad-
» heserunt exponentes prefati extra Civitatem Nea-
» polis per certa tempora commorantes nichil maie-
» stati nostre contrarium commiserunt. Propter quod
» Culmini nostro supplicarunt humiliter ut infamie no-
» tam quam ex culpa predictorum Avi et patris eo-
» rum et absentationem de dicta Civitate Neapolis si
» qua fuerit incurrisse dicuntur abstergere eosque ad

» actus legitimos bonorumque successionem restituere
» benignius dignaremur. Nos igitur qui ex benigni-
» tate Clementie que innata debet esse principibus
» non solum excedentium culpas abstergimus verum
» etiam eorum quos aliena culpa deprimit defectus
» et maculam facilius abolemus ipsorum in hac parte
» devotis supplicationibus annuentes omnem infamie
» notam seu maculam quam ipsi ex predicta eorum
» avi et patris culpa ipsorumque absentatione ratio-
» nabiliter incurrerunt humanitatis intuitu tollentes
» de certa nostra scientia et gratiosius abolentes re-
» stituimus eos autoritate presentis indulti, ad actus
» legitimos honores gratias dignitates famam et suc-
» cessiones bonorum illis exceptis que ex causa jam
» dicti criminis Avi et patris ipsorum sunt ad nostram
» Curiam devoluta sive in eiusdem Curie manu con-
» sistant sive per eam alijs vel alijs sint concessa iu-
» ribus alijs dicte nostre Curie et cuiuslibet alterius
» semper salvis. In cuius rei testimonium et cautelam
» presentis indulti scriptum exinde fieri et pendenti
» maiestatis nostre sigillo iussimus communiri. Datum
» Neapoli per manus Bartholomei de Capua militis Lo-
» gothete et protonotarij Regni Sicilie anno domini
» MCCCVIII. die ultimo mensis iulij VI. inditionis
» Regnorum nostrorum anno XXIIII.
» Il che è quanto ec.
» Il Capo dell'ufizio
» *Camillo de Rosa* »
» Visto del Sopraintendente generale degli Archivj
» *Spinelli* »

» Tassato il dritto per ducati tre e grana ottanta, in-
» clusa la cercatura
» Il Capo del 1. Ufizio Controllo della Cassa.
» *Camillo de Rosa* »
» Incassato il dritto di ducati tre, e grana ottan-
» ta — 3 » 80
» Il Cassiere
» *Saverio Orlando* »
» N. 10861 = Registrato nel 3. Ufizio a nove Giugno
» 1830 L. IV. 271 f. 98 C. I. grana venti =
» *Minieri* »
» Adest Signum
» N. 5450 = Visto pel Controllo
» *Barba* »
» Adest Signum

Hujusce documenti quae sit vis, quae auctoritas, quod pondus operae pretium erit paucis ostendere. Primo igitur *Marini Capice de Monacho* Agnatis Carolus infamiae notam remittit. Falso igitur opinantur ii, qui ex hoc documento Corradum et Marinum fratres iram Caroli evasisse, et deinde Romani Pontificis commendatione in gratiam Caroli rediisse asserunt; Agnatis enim *Avi* vel Patris infamiae nota relaxatur, nulla majorum mentione adjecta. Monumenta autem, quae ex eodem Regio Archivo extraximus Corradum capite damnatum aperte confirmant. Vidua ibi quondam Corradi petit dotem (*a*), et *Rex Carolus I. do-*

(*a*) Blancaffora de Molinis relicta quondam Corradi Capicis petit bona. Registro Lit. A. 1270 f. 132.

nat Joanni de Solis bona, quae fuerunt Corradi Capicis in Capua, et Calvo (*a*). *Nobilis etiam vir Petrus de Suria habet donationis titulo domum olim Marini Capicis sitam Neapoli prope plateam Capuanam* (*b*). Notandum vero hic erit quod Carolus II dùm *Capyciorum familiae* concessiones bonorum indulget, addit *illis exceptis que ex causa iam dicti criminis Avi et Patris ipsorum sunt ad nostram Curiam devoluta sive in eiusdem curie manu consistant sive per eam aliis vel alii sint concessa iuribus aliis dicte nostre Curie et cuiuslibet alterius semper salvis.* Colligere quisque poterit quam pauca fuerint bona Capyciis concessa, dum Majorum proditione publice renuntiata, Capyciorum Feuda, dignitates, et pretiosa quotvis nobilitatis ornamenta, Rex Carolus, qui in certamine superior evasit, partim sibi, partim iis, qui victricia arma secuti erant, prout moris est, statim addixit. Mitto etiam id quod ex iisdem documentis luculenter ubique colligitur, et inter ea mandatum Caroli Regis *Philippo de Glis, et Guglielmo Exendardo Capitaneis Siciliae ad exterminationem quondam Corradi Capicis* (*c*).

Iuvat nunc Corradi Capycii (maximum familiae ornamentum) historiam, ubi plurimi Scriptores communicatione nominum videntur errasse, e tenebris eruere, quod si mihi assumo, videor id meo jure quodammodo vindicare.

(*a*) Registro fol. 258.

(*b*) Registro 1291 Lit. A. fol. 262.

(*c*) Registro fol. 131 a tergo —

Duo fuerunt Corradi, partibus Corradini forti et costanti animo semper addicti; Corradus ex Antiochia, et Corradus Capycius, itaut ex hoc duplici Corrado, ambiguitate nominis, multa mendosissime scripta rereperiantur. In tanta scriptorum varietate pene defatigatus Cl. Marchionem Castri Lentini Thomam Gargallo consulendum censui, quod felix faustumque fuit; Gargallus enim ea, qua pollet, Italiae et Siciliae presertim Scriptorum notitia, laborem nostrum humanissime levavit, quod, ut clarius innotescat, clarissimi atque amicissimi viri literam, quae Scriptorum varietates e medio tollit, exhibendam putavimus (*a*).

(*a*) No, mio veneratissimo Monsignore. In una cosa rapportata da Giovanni Villani, e da Giovanni Fiorentino autore del Pecorone non solo non è da anteporre l'autorità del Pecorone a quella del Villani, ma nè anche bilanciare un momento tra l'una, e l'altra qual prevalga fra le due. Il Fiorentino non sapendo come tirare avanti a compiere il numero delle 50 novelle, che avea promesso, pensò uscirsene pel rotto della cuffia, e con un plagio sfacciato andò rubacchiando, e copiando, come altrettante novellette la fondazione di Troia, l'origine di Fiesole, il fatto di Virginia, i Guelfi, e i Ghibellini, espilando in somma le vecchie cronache de' suoi tempi, e spesso ancora le istorie di Giovanni Villani; di Ricordano Malaspina, e via via. Quando voglia mettere qualche cosa del suo, abbraccia spropositi, e sconnessioni, da far ridere le galline, che hanno le labbra d'osso. Nell'ultima sua novella, ch'è di tutte l'arcilunghissima, avvisò raccontare *la vita d'un valente signore, ch'ebbe nome Carlo Conte d'Angiò*, nella quale altro non fece, che scorticare il povero Villani. Tornando in chiave dunque il Villani nomina Currado Caputo d'Antiochia, discendente dall'Imperatore Federico, ed il suo amannense certamente ebbe a saltar qualche linea, avendo tralasciato di nominare Corrado Capece, del che mi convince quanto lo stesso Villani soggiugne dell'assedio del Castel di Centorbe, dell'acciecamento, e dell'impiccatura di esso Corrado, cose tutte, che convengonsi a Corrado Capece, e nelle

*

Sciendum tandem erit (uti plerique sapientissime notarunt) quod illius aetatis historiarum Scriptores alii Ghelforum, Gibellinorum alii partibus addicti, ali-

---

quali si accordano tutti gli storici sincroni, mentre all' incontro la circostanza della discendenza dell'Imperatore Federigo è adattabile a Corrado d'Antiochia, come il confermano altri storici, di cui vi ho comunicato le autorità. Il Pecorone bensì compensa uno sproposito con un altro, e mentre toglie di netto il nome di Corrado d'Antiochia, attribuisce al Capece la discendenza da Federigo. Intanto vi soggiugnerò altre autorità, che sono andato rinvergando. Eccovene una tratta dall' anonimo (Chronicon Siciliae ab anno DCCXX ad annum MCCCXXVIII) De adventu Conradi Capichii in Siciliam, et. acquisitione Saccae cap. XXXV. « Interea vero » post dictum conflictum dicti regis Manfredi, dicto rege Carolo tenente, » et possidente dictum regnum Siciliae, ut est dictum, quidam miles nea» politanus, nomine Conradus Capichi fidelis olim regis Manfredi praedi» cti, causa juris fere volens recuperare dictum regnum praedicto Conra» dino, qui dicebatur venturus ad recuperationem dicti Regni, veniens » transivit ad dictam Insulam Siciliae, in terram videlicet Saccae, et ac» cepit terram ipsam, et illic faciens campum, congregavit, et augmenta» vit gentem ejus de viris Ghibellinis, et habitantibus dictae Insulae, qui » fugiebant de domo dicti Caroli ad dictum Conradum Capichi cum dicta » gente congregata, et augmentata acquisivit, et abstulit de manu dicti » regis Caroli loca Siciliae infrascripta, videlicet (hic desunt quam plu» rima). Ecco quello, che dice Niccolò de Jamsilla nella sua Istoria (Mu» rat. Scrip. Rer. Ital. t. 8). « Fama igitur de praedictis (s'intende della » discesa di Corradino in Italia) ad Conradum Capicium, et dominum » Fredericum, qui adhuc erant apud Tunisium, devoluta statim.... in » Siciliam transfretant. Hos quaedam terra, quae vocatur Sciacca, rece» ptavit. Conradus Capicius per totam Siciliam spargit litteras, ac se regis » Conradini Vicarium in Sicilia Generalem litterali fictione describit... » Capicii nuntios, et litteras quamplura loca recipiunt... Sicque tota vallis » Mazzarae, tota vallis Noti, et fere tota Sicilia, exceptis quibusdam locis » insignibus, ut sunt Panormus, Messana, et Siracusae, Conradi (Capicii) » beneplacitis obtemperare videntur ». Questo istorico continua la sua narzione sino ad un fatto d'arme, nel quale il Vicario Generale di Re Carlo sorpreso da uno stratagemma del Capece, n' ebbe la peggio, nè arriva al termine tragico della costui morte. L'antico istorico Siciliano Bartolommeo

quando res speciosas potius quam veras narrarunt, et turpibus praesertim, culpae excusatione, colorem quondam dandum censerunt. Nos vero in tanta Scriptorum varietate nullius partibus addicti monumenta rerum gestarum non ad illorum temporum gratiam, sed ad veritatis tantummodo testimonium seligenda putavimus, et lucubrationem nostram Archivorum fidei commendatam reposuimus.

---

da Castronuovo cita altresì il Capece al capo XI. in questo breve periodo. « Capitur a suis in septemplici monte, Alaimo cohibente, Capicius, et apud civitatem Cataniae pendulus vitam vomit. »

Saba Malaspina, ch'è forse quegli, che dà maggior notizia del Capece nella sua storia (lib. 3 cap. 17, e segg.) dice che molti nobilissimi uomini, tra' quali Corrado Capece, e Marino, suo fratello, a preghiere di B. Pignatelli Arcivescovo di Messina, erano stati perdonati dal re Carlo d'Angiò, ottenuto il qual perdono corse in Alemagna a stimolare Corradino al riacquisto della Sicilia. Giunse a foggiar delle lettere, nelle quali fingea essere stato fatto suo Vicario Generale per la Sicilia, e poi « applicans in Tunisium Conradus Capicius cogitatu callido de invadenda Sicilia machinatur. » Nel secondo capo del 4. libro ripete quasi parola per parola quello, che abbiamo accennato essere stato scritto da Bartolomeo Neocastro, se pure non fu il Neocastro, che copiò Iamsilla.

Queste altre poche notizie aggiunte a quelle, già da me raccapezzate, e comunicatevi riuniscono quanto gli storici nazionali, e i sincroni ci hanno lasciato intorno al vostro antico, ed illustre agnato, che certamente avrebbe fatto miglior senno a maneggiare un pastorale con la sinistra, e dar larghe benedizioni con la destra, come con tanta vostra gloria avete fatto voi suo nipote a sommo vantaggio delle lettere, e degli uomini, tra' quali imploro ancor io la vostra benedizione, e le vostre indulgenze per le tante chiacchiere, che mi avete dato occasione di affastellarvi. Vi sieno almeno argomento dell'affettuosa ubbidienza, con la quale mi do l'onore di dirmi

Di Casa 13 Giugno 1830.

Div.° Obbl.° Ser.° Amico Vero
Tommaso Gargallo Marchese di Castellentini.

CAPUT VIII.

Capyciorum Sepulcretum.

In tanta nostrorum temporum injuria, Templis quamplurimis, partim ad Civitatis ornatum ampliandum a fundamentis deletis, partim vetustate collapsis, partim denique in profanos usus conversis, familiarum memoria obliterata jaceret, nisi studio et labore *Caesaris d' Engenio* in opere *Napoli Sacra* sarta, atque tecta fuisset. Nos vero operae pretium duximus inscriptiones omnes, ubi de Capyciorum familia agitur, in unum colligere, ne aut temporis vetustas, aut publica quaedam calamitas monumenta a majoribus nostris relicta disperdat, et dissipet.

Primo autem loco notanda suscepimus ea, quae in vetustissima amplissimaque Aede vulgo *Cappella de' Minutoli* in Cathedrali Ecclesia reperiuntur; tanta est enim apud Neapolitanae historiae Scriptores hujusce Aedis fama, ut primum fortasse templum Neapolitanorum Antistitum fuisse plerique affirmaverint. Novissime autem multi ex Italiae, et Europae finibus, ut antiquioris picturae rationem dignoscere facile possent, Aedem hanc sedulo perlustrarunt.

Supra hujusce Aedis portam sequens inscriptio reperitur.

Io: Baptistae Capicio Minutulo Equiti, pietate, et magnanimitate insigni, qui quod in se videret Henrici Capicii Minutuli Cardinalis Amplissimi lineam desinere, le-

GATIS RARO CHARITATIS EXEMPLO VICIES. H. S. AD RELIQUAE FAMILIAE PERPETUAM UTILITATEM, ET DECUS, INSTITUTOQ; SUORUM BONORUM HAEREDE HOSPITALE D. MARIAE ANNUNCIATAE, IN CRUCIS SE TANDEM HUMILI SACELLO CONDI VOLUIT. BEATRIX TORELLA MATER INFELIX SUPERSTES. JULIA CARACCIOLA VIRO INCOMPARABILI AMORIS MONUMENTUM P. OBIIT AN. D. 1586, AETATIS SUAE LV. (*a*).

In interiori Aedis parte duo Praesulum ejusdem familiae Sepulcra reperiuntur, scilicet Philippi, et Ursi Minutulo.

MAGNANIMUS, SAPIENS, PRUDENS, FAMAQUE SERENUS
PHILIPPUS PRAESUL MORUM DULCEDINE PLENUS
MINUTULUS PATRIAE DECUS, ET FLOS ALTA PROPAGO
HIC SILET, HIC TEGITUR, JACET HIC PROBITATIS IMAGO.

JACET IN HOC TUMULO DOMINUS MINUTULUS URSUS,
PONTIFICALIS APEX, QVEM PROFERT LINEA RURSUS,
VIRTUTUM VITIS, PHILIPPI VERA PROPAGO,
PONTIFICUM GEMMA, CUNCTAE PROBITATIS IMAGO,
PARTHENOPE NATUM, SALERNUM PONTIFICATUM
FLENTQ: TALE DATUM, MORITUR SUPER OMNIA GRATUM,
PARTHENOPEQ: TIBI SALERNUM PRAESULIS HUJUS
COMMENDAT CORPUS, ANIMAM DEUS ACCIPE CUJUS (*b*).

In amplissimo Templo Virginis Annunciationi dicato,

(*a*) Cesare d'Engenio Caracciolo Napoli Sacra Nap. 1623 pag. 23 —
(*b*) Napoli Sacra pag. 22 —

vulgo *Chiesa dell'Annunziata*, Petri Latro, Ioannis et Verdellae Baraballo filii marmoreum Sepulcrum hae erat antiquitus inscriptione signatum:

Hic jacet corpus nobilis viri Petri Latri de Neapoli, qui obiit anno domini 1348, die III. mensis maii i ind. (a).

Cum autem Templum hoc anno 1634 incendio pene absumtum fuisset, instantibus Capyciorum familiae nobilibus Sepulcrum in eadem Ecclesia restitutum fuit, hac addita inscriptione:

Vetustae, et Clarissimae Familiae Latro
monumentum
Ara proximioris Aediculae huc translata
Hector dux Sejani, et Marchio Torelli
Horatius Nevani Dominus
Et Jacobus Frater
Ampliori Cultu adauctum
Genti suae restituerunt 1634.

— Antiquioris vero Petri Latro ossa reposita fuerunt in ejusdem Aediculae (vulgo Cappella del Tesoro) Vestibulo, hac addita inscriptione:

« Capyciorum Latro sepulcrum »

(a) Napoli Sacra fog. 416 —

In eadem Ecclesia in Aedicula familiae Galeota sequentes leguntur inscriptiones (*a*)

Loisio Io: Fil Galeotae, et Hippolitae Buzzutae conjugib: concordiss: Camillus Galeota Parentib: optimis p. anno sal. MDLXXIII.

D. O. M.

Berardino Galeotae Regio Consiliario
V. C. Andrianae Lazzae conjugib: Sanctis:
Marius Filius Parentibus opt. ac incomp:
Vixit alter an. LXXX, altera an. LXXV.
1540.

D. O. M.

Vincentio Galeotae
Scyllacaeo, et Pestano Pontifici
Vitae, ac morum dignitate insigni
Templorum, quibus praefuit
Census amplificatori, aedificiorum
instauratori, Dei Opt. Max. cultus
Ad veterem normam Restitutori
In usu rerum peritiss:
De sua Galeotorum familia
optimè merito
Vixit an. LXIV. mens. VII. D. XX.
Haered. ex testam: Cur:
A Partu Virginis MDXXIV.

(*a*) Napoli Sacra fol. 416.

Sequuntur inscriptiones in variis Ecclesiis Neapoli existentibus repertae.

In Cathedrali Ecclesia Henricus Minutulus Neapolitanus Archiepiscopus, et Cardinalis titulo S. Anastasiae Majorem Cathedralis Ecclesiae Portam eleganter construxit hac addita inscriptione (*a*)

NULLIUS IN LONGUM ET SINE SCHEMATE TEMPUS HONORIS
PORTA FUI RUTILANS SUM JANUA PLENA DECORIS
ME MEUS, ET SACRAE QUONDAM MINUTULUS AULAE,
EXCOLUIT PROPRIIS HENRICUS SUMPTIBUS HUJUS
PRAESUL APOSTOLICAE NUNC CONSTANS CARDO COLUMNAE
CUI PRECOR INCOLUMEN VITAM POST FATA PERENNEM
HOC OPUS EXACTUM MILLE CURRENTIBUS ANNIS
QUO QUATERCENTUM SEPTEM VERBUM CARO FACTUM EST.

In eadem Cathedrali Ecclesia (*b*)

HIC JACET PETRUS PISCICELLUS ZURLUS DICTUS QUARRA DOMINUS FOSSAE CECAE OBIIT ANNO DOMINI 1342 M. SEPTEMB. DIE 11.

Colligi ex hac inscriptione poterit alterum Capyciorum cognomen *Quarra*

In eadem Ecclesia (*c*).

HIC JACET EGREGIUS MILES DOMINUS JOANNES
ZURLO VIR MILITIAE STRENUUS EXEMPLARIS
VITAE, QUI OBIIT ANNO DOMINI 1381 DIE ULTIMO SEPTEMBRIS.

(*a*) Napoli Sacra f. 5.
(*b*) Idem — fol. 18 —
(*a*) Napoli Sacra fol. 18 —

Notandum vero erit quod inscriptiones de quibus agimus ad praesens non inveniuntur: extabant enim in Aedicula familiarum Filomarini, et Zurlo a fundamentis deleta cum novissima S. Januarii Aedicula magnis expensis aedificata fuit.

In eadem Cathedrali Ecclesia in Aedicula Familiae *Varavalla* habemus (*a*).

Hic jacet corpus domini Petri Capice dicti
Baraballi majoris Ecclesiae Neapol:
Ciminarchiae qui obiit ann. Domini
1333, die 28 mens Maij. 1 ind.

Hic jacet corpus magn: et egregii viri Domini Henrici
Capice dicti Baraballi de Neap. qui obiit an: Domini
1360 die 1. Januarii 5 indict:

Hic jacet corpus mag., et egregiae
Mulieris Dominae Berdellae Piscicellae
Dictae Capice de Neapoli
Olim uxoris dicti Domini
Henrici, quae obiit anno
Domini 1343, die Aprilis
9 indict (*b*).

(*a*) Idem fol. 21 —
(*b*) Napoli Sacra fol. 21 —

Novissimis temporibus ut altare majus augustius fieret, Cardinalis Archiepiscopus Spinelli ex pristino loco in extrema Ecclesiae parte posuit, proinde inscriptiones sepulcrales uti ab Engenio narrantur, reperiri non possunt: juvat tamen, ut antiquitus existebant in medium adducere, ubi de familia Capece Bozzuto agitur *(a)*.

Annibal Bozzutus Patritius Neap. ex familia ann. ante ccccia Cardinalitia orator ad Caolum V. Caes. Aug. an. aetat. XXIV. summis de rebus à patria missus, Bononiae Prolegato, à Paulo III. Pont. Max. Praepositus Archiep. Avenionis. à Julio III. decoratus, bis vacua sede primum Julii III. deinde Marcelli II. cui carus in primis fuit, Vaticano, et Conclavi Praefectus rerum omnium maximarum, delegandorumque universae ditionis Ecclesiasticae magistratuum potestate, Clericatu etiam camerae Apost. gratuita Pauli IV. liberalitate honestatus, demum a Pio IV. Praesbiter Cardin. titul. S. Silvestri creatus, inter septem menses vi calculi sal. an. 1565. aetatis XLIIII. menses VII. die III. ex hac vita ereptus

H. S. E.

Fabricius Bozzutus Frater ex testamento haeres.

Hic jacet Egregius Miles Jacobus Bozzutus
qui fuit de societate Stellae Illustris Domini
Joannis Regis Francorum
Et Collateralis, et Consiliarii incliti
Domini Ludovici Ducis Duracii
1358 die...

(a) Idem fol. 26 —

Hic jacet Strenuus Miles Colutius Bozzutus filius ejus, qui fuit de societate Nodi Illustris Ludovici Regis Siciliae quem nodum in campali bello victoriose dissoluit, et dictum nodum relegavit in Hierusalem, qui obiit an. Domini 1370. die 8. M. Septem. 9. ind. (*a*).

Hic jacet corpus Magni Domini Nicolai Bozzuti de' Neap. sub An. Domini 1462. M. Junii. Lapidem hunc temporis longinquitate consumptum, Hieronyma unica filia, et haeres Fabritii Bozzuti, cujus hic requiscunt cineres in integram formam restituendum curavit. Vixit an. LII. obiit 19 Novembris 1582 (*b*).

In eadem Ecclesia Cathedrali

Rinaldus Piscicellus Primo Pontificio jure operam dedit, mox Archiepiscopus Neapolitanus, deinde Cardinalis evasit, in utroque perhumaniter versatus mirifice observabatur. Decessit an. aetatis suae XLIII; et hic clauditur anno 1458 (*c*).

Ibidem — Prope Sacellum familiae extinctae Ajossa habemus

Hic jacet Dominus Thadaeus Cacapice
Miles de Neapoli, qui obiit anno Domini
1324 die 11 M. Julii..... indict (*d*).

(*a*) Napoli Sacra fol. 27 —
(*b*) Napoli Sacra fol. 27 —
(*c*) Idem fol. 26 —
(*d*) Idem fol. 40 —

In eadem Cathedrali Ecclesia Sacellum adhuc extat Capyciorum Galeotae familiae gentilitium, et marmoreum Sepulcrum, ubi legitur —

Hic jacet corpus Magn. et strenui viri Rubini Galeota Regni Siciliae marescalli filii mag. viri Domini Hectoris Galeotae de Neap. militis, qui obiit an. Domini 1445, die 8 M. Maij 3 ind. (*a*).

Prope portam (vulgo dicta Sacrestia) extat inscriptio ad Regis Andreae tumulum opera Francisci Berardi Capyci filii positum; videlicet:

Andreae Caroli Uberti Pannoniae Regis filio,
Neapolitanorum Regi. Joannae uxoris
Dolo, et laqueo necato
Ursi Minutuli pietate hic recondito,
Ne Regis corpus insepultum, sepultumve facinus
Posteris remaneret.
Franciscus Berardi F. Capycius
Sepulcrum titulum, nomenq; P.
Mortuo anno XIX. M. CCC. XLV. Kal. 14. Octobris (*b*).

In sacello Capyciorum gentilitio legitur

Hic jacet Dominus Marinus Capece: obiit
Anno Domini 1454 in medietate novembris (*c*).

(*a*) Napoli Sacra fol. 27 —
(*b*) Idem fol. 30 —
(*c*) Idem fol. 30 —

In eodem Loco

HIC JACET CORPUS MAGN. MULIERIS
DOMINAE CECCARELLE SIGINULFAE
DE NEAP.
UXORIS RELICTAE QUONDAM MAGN. VIRI DOMINI
JACOBI MINUTULO DE NEAPOLI
SUB. AN. DOMINI 1450, DIE... M... etc. etc. (*a*).

In Sacello Familiae Scondito

VICTORIAE CAPYCIAE UXORIS INTEGERRIMAE.
NE QUOS SINGULARIS AMOR, ET MIRABILIS CONCORDIA
CONJUXIT, VEL MORS IPSA DIVIDERET,
TUMULO HIC CONJUGIS CINERES EXPECTANT VIRI,
JULIUS CAESAR SCONDITUS POS. AN. DOMINI 1457 (*b*).

In eadem Cathedrali Ecclesia, videlicet in Cathedralis parte, quae Ecclesia S. Restitutae dicitur, sequentes inscriptiones leguntur (*c*)

HIC REQUIESCIT THOMAS PISCICELLUS SENEX, QUI OBIIT ANNO
DOMINI 1334 — DIE 7 M. DICEMBRIS 3 INDIC. —
QUEM TERRA TEGIS CAROLI SUB TEMPORE REGIS,
NOBILITAS TUT..... JACET HIC A MORTE SOLUT.....
PROPITIARE DEUS CAPICE BARTHOLOMAEUS.....
DE PISCICELLIS QUI SOLUS CRIMINA PELLIS
MILES REGALIS ERAT NOMEN EST M.....
DEXTERA TAM FORTIS VICTA JUSTITIA MORTIS,
HEU PUTRESCIT ITA, SIC EST MISERRIMA VITA.

(*a*) Napoli Sacra fol. 30.
(*b*) Idem fol. 30 —
(*c*) Idem fol. 37 —

Andrianae Latrae Morte immatura raptae,
Mater infelix Sarra Mangiona
Sepulchrum, quod ipsa a filia speraverat,
Aeterno cum luctu fecit anno 1554 —

Federicus Tomacellus sibi, et Tomacellis
Omnibus vivens P. An. Domini 1572 —

Hic requiescit Dominus Thomasius Piscicellus
Majoris Ecclesiae Neapolitanae Diaconus,
Qui obiit an. Domini 1301 die 17 Martii,
Et abbas Joannes Piscicellus ejusdem
Ecclesiae Canonicus, qui obiit die 15
M. Septembris 1 ind. —

Hic jacet nobilis vir Dominus Riccardus
Piscicellus
De neapoli miles
Qui obiit An. Domini 1331 die 15 M. Januarii 14 ind.

D. O. M.

Alphonsus Berardi Filius cognomento Piscicellus, mortuis Ascanio fratre optimae Spei adolescente 19 Kal. Septem. 1545, ac 17 Kal. Aug. 1556. Joanne Baptista primo filio ex Adriana Tomacella uxore, Maiorum Aediculam, et sepulchra vetustate pene consumpta restituit: additis etiam familiae hic insculptis insignibus ad usum, et posterorum memoriam.

Hic illustrium virorum ex nobilissima Piscicella familia Neapolitana ossa quiescunt in pace.

Hic jacet corpus Jannocti Capice Piscicelli de Neap. qui obiit an. Domini 1348 — 3 die M. Decembris 1 ind (*a*).

D. O. M.

Angelus Capicius cognomento Apranus
Sepulchrum hoc ab ipsius majoribus
In hoc antiquissimo Templo conditum,
Vetustate pene deletum, pietatis
priscae gratia conservandae instauravit
anno Domini 1534 (*b*).

D. O M.

Alphonsus Piscicellvs Berardi Filius, Neapol. Patritius, Luciti Dominus, et Carcabutacij apud Hirpinos, et ad crvptas, nunc vulgo Grottaglias, in Iapygia Dom. Franc. Alphonsi filius ex Adriana Tomacella conjuge, hoc sacellum antiquissimum Piscicellae gentis plane dirutum A. D. 1645 instauravit.

Alphonsus junior Piscicellus nepos, Patritius Neapol. Luciti, et plurimorum Oppidorum Dominus, ubi marmori incidenda jussit varia Piscicellae Gentis insignia nunc Berardinus Piscicellus filius, Patritius Neapolitanus Luciti dominus Avita paterna pietate suscitavit.

A. D. MDCL. (*c*).

(*a*) Napoli Sacra fol. 38 —
(*b*) Idem fol. 38 —
(*c*) Idem. Sacra Parte 2. fol. 33 —

In hoc Sacello Piscicelli genere antiquissimus extat marmoreus Tumulus Piscicellis insignib., quincentis retro prope annis celatus. Alter tumulus substructus cernitur marmareus qui simulacro decorus Riccardi Piscicelli Patritii Neapolitani bello celebris Roberto Rege A. MCCCX. subscriptione:

Hic jacet nobilis vir Dominus Riccardus
Piscicellus de Neap. miles, qui obiit
A. MCCCXXXI.

Sed nuper post tot secula A. MDC. Alphonsus Piscicellus, Neapolitanus Patritius, Luciti Dominus, Carcarutatii, Castrilini, Fagiani, S. Georgii, Castri à bello vedere, et Ferrariae suorum maiorum sludiosissimus instauravit, hic ex Felicę Caracciola conjuge filios suscepit Franciscum, Bernardinum, et andream, Franciscus Luciti Dominus obiit A. D. MDCXLV. Andreas Aequitem induit Hierosolimitanum, Bernardinus Piscicellus Patritius Neapol. nunc tandem Luciti Dominus memor suorum hoc epithaphium erexit — A. D. MDCLI.

Huc ex antiquo monumento translatam
Memoriam strenui viri Domini Thomae
Piscicelli de Neapoli Militis,
Qui obiit an. Domini MCCCXXXIIII.
Berardinus Piscicellus Patritius
Neapolitanus Luciti Dominus
Gentilitia pietate in suo Sacello reposuit (a).
A. D. MDCLI.

(a) Napoli Sacra par. 2. f. 34.

In Ecclesia S. Mariae Majoris, in Aedicula familiae Minutulo legitur

Petrus minutulus, et Isabella Galeota conjuges fatalium numinum memores, hoc monumentum pro se suisque posuerunt (*a*).

In hac Ecclesia antiquitus extabant Sepulcra quedam inter quae notandum nobis erit.

Petro Antonio Capycio Patritio Neapolitano ex gentilitio jure hujus Sacrae Aedis rectori, qui veteri nobilitati pietatem, doctrinam, modestiam adjecit, Baptista Capycius pater optimo filio P. An. Domini 1511 (*b*).

In Ecclesia S. Laurentii prope parvam portam legitur

Capyce cognomen sed nomen ejus Henricus
Eximiae doctus Civili Lege peritus
Christo famulantium devotus semper amicus
Minorum praecipue sectando cultum, et ritum
Docilis ad sacras saepe meditando scripturas
Et sic cujuscumque valuit defensare jacturas
Hoc lapide clauditur hic justus, et timoratus
Ad deum perveniet, sit cum eo beatus (*c*).

(*a*) Napoli Sacra fol. 65 —
(*b*) Idem fol. 95 —
(*c*) Idem fol. 117 —

In eadem Ecclesia

Hic iacet Petrus Tomacellus Miles de Neapoli qui obiit An. Domini 1374 (*a*).

Hic iacet Dominus Petrus Capice de Dopnarania dictus de Aprano de Neapoli Miles, qui obiit Anno Domini 1327. d. 11 Julii 10 ind. (*b*).

In Ecclesia dicta S. *Caterina* a *Formello*. In Aedicula Marchionis di Chiusano Tomacelli legitur

D. O. M.

Federicus Tomacellus Marchio Chiusani qui nulli Amore in patriam, propinquos atque amicos cessit; hoc vivens monumentum sibi, Antoniaeque Pisanelli uxori chariss., ut viva inter ipsos'societas, nec morte dirimeretur, construi mandavit (*c*).

In Sacello Familiae Tocco

Lucretiae Capyciae Piscicellae pudicitia religioneque insigni uxori integerrimae, et incomparabili, ut concordissimorum, quos summa conjunxit fides, mutuusque amor Unanimes tenuit, inseparabiles quoque cineres hic post viri fatum simul condantur. Jacobus Toccus perpetuo lacrimans P. Erepta An. Domini 1586. Nono Kal. Septem. aetatis suae XXIV (*d*).

(*a*) Napoli Sacra fol. 122.
(*b*) Idem fol. 123.
(*c*) Idem fol. 149.
(*d*) Idem fol. 153.

In Ecclesia SS. Apostolorum inter eos qui ex sacra Theatinorum familia Sanctitatis fama ex hoc saeculo migrarunt legitur

Il Padre D. Giovanni Galeota gentiluomo Napolitano primo preposto e fondatore di questo luogo (*a*).

In Ecclesia vulgo dicta *S. Maria Donnaregina* legitur in Sacello familiae Baraballae, quod uti supra notavimus cognomen est Capyciorum familiae —

Hic jacet Dominus Nicolaus Baraballus de Neap. Miles cum quatuor ejus liberis qui obiit An. Domini 1348 (*b*).

In Ecclesia dicta S. *Patritia* antiquitus extabant sepulcrales inscriptiones uti videre est apud Engenium (*c*)

Cucellina minutula.... pudicitia, et
Moribus unde co..... Kal. Novem.....
obiit.... 1460.

Hic jacet corpus viri egregii Francisci Bozzuti Militis Neap. qui obiit An. Domini 1400 (*d*).

(*a*) Napoli Sacra fol. 168.
(*b*) Idem fol. 172.
(*c*) Idem fol. 183.
(*d*) Idem.

HIC JACET DOMINA CECILIA BOZZUTI UXOR
DOMINI FEULI BRANCATII
1419 (*a*).

MARTIA CAPECE PUDORIS, AC VENUSTATIS RARISSIMAE DECUS HIC REQUIESCIT, QUAE SCALARUM LAPSU (HEU) CAPITE DEFIXO LUCTANTEM DIU ANIMAM TANDEM EXPIRAVIT: QUIS ERGO LACRYMAS, QUIS EJULATUS COMPRIMAT LEGENS PUELLAM FORMOSISSIMAM TAM DIRE, TAM INFAUSTE MORTEM OBIISSE?

VINCENTIUS CAPYCIUS MARITUS QUA CUM NON DUM ANNUM EXEGIT, SAXUM HOC OB DOLORIS TESTIMONIUM P. VIXIT ANNOS XIX. MENSES III. DIE X. ANNO 1546 (*b*).

In Ecclesia vulgo dicta *S. Maria della Grazia* antiquitus Sacellum familiae Thomaccelli existebat ubi infrascripta inscriptio legebatur

JOANNA GREGORII FILIA TOMACELLA RARI EXEMPLI MATRONA, QUAE DIVITIIS ABUNDANS CONJUGIUM SEQUI NOLUIT. HOC SIBI MONUMENTUM VIVENS FECIT, NE CURAM HANC DE SE HAEREDI RELINQUERET. VIXIT AN. L. OBIIT AN. DOMINI 1490 (*c*).

In Ecclesia S. Dominici in Sacello Familiae Capyciae extant sequentes inscriptiones —

CORRADO CAPYCIO

ATRIPALDAE, S. MARTINI, ALIORUMQ. OPPID. REGULO MANFREDO, ET CORRADINO REGNANTIBUS IN SICILIA PROREGE, ATQUE EXERCITUS IMPERATORI, DOMI, MILITIAEQ. CLARO,

(*a*) Nap. Sacra fol. 183 —
(*b*) Idem.
(*c*) Idem fol. 208.

CONSTANTI VERO IN SUOS REGES FIDE CLARISSIMO.
HIC PISANA CLASSE, MARINO FRATRE PRAEFECTO, RECEPTA SICILIA.
NEAPOLITANUM REGNUM ADEO HOSTILITER INVASIT,
UT GALLORUM IMPERIUM IN SUMMUM
DISCRIMEN ADDUXERIT.
OCTAVIANUS CAPYCIUS NICOTERENSIUM EPISCOPUS
ATAVI ABAVO PIETATIS ERGO P.
MDC.XV. (*a*).

D. O. M.

BERARDO CAPYCIO EQUITI HIEROSOLYMITANO.
HIC IN OBSIDIONE MELITES INSULAE AN. 1565 IN ARCE S. ELMI VIRILITER, AC STRENUE DECERTANS, DEINDE IN S. MICHAELIS INSULA EGREGIE NAVATA OPERA JOANNI VALLECTAE MAGNO MAGISTRO SEMPER CARUS VIXIT MOX IN LEGATIONE APUD PONT. MAX. DE SUA RELIGIONE OPTIME MERITUS MARTINI GARZES SUMMI MAGISTRI, QUEM SUO SUFFRAGIO ELEGERAT PER PLURES ANNOS SUMMA CUM PRUDENTIAE LAUDE VICESGERENS IN TOTA INSULA, ATQUE ADMINISTER NONNULLAS COMMENDAS ETIAM MAGISTRALES EST CONSECUTUS OBIIT NEAP. AN. DOMINI M.DC.XIV., AETATIS VERO SUAE LXXVI. JULIUS CAESAR CAPYCIUS PATRUO POSUIT (*b*).

D. O. M.

BRUTUS CAPYCIUS POST VITAE HUMANAE
INQUIETEM;
AD QUIETEM HIC LOCUM PARAVIT (*c*).

(*a*) Napoli Sacra fol. 273.
(*b*) Idem.
(*c*) Napoli Sacra fol. 273 —

PORTIA CAPYCIA

Viva gaudium, mortua mariti gemitus hic sita est
Berardinus Rota
Thesaurum suum condidit
Fecit nolens, fecit nec mori potuit
Rapta est e sinu charitum MD.LIX.
Decessit non decessit
Infelix ille
Qui mortua Portia vivus cum ea sepelliri debuit
En simul Hic fingi pertulit, ut quando aliter nequit
Saltem marmorea conjuge frui liceat. Lugete Musae interim
Abiit non Obiit (*a*).

In Sacello familiae Thomacelli habetur

Hic jacet corpus nobilis viri Jacobi Tomacelli de Neap. Militis Reginalis Campellani, et familiaris, qui obiit An. Domini 1346. die 17 M. Februarii 14 ind. (*b*).

Nicolaum Tomacellum ex Nobil Neap. virum armis strenuum quinq. liberis Mors immatura eripuit An. Domini 1473. caeterum quod potuit infelix conjux quam unice dilexit, et qui cum sine querela vixit hic condi fecit — (*c*).

Leonardo Tomacello viro strenuo, et in provinciis Calabriae rerum Curatori Francisca uxor B. P. cavitq.

(*a*) Napoli fol. 284.
(*b*) Idem. fol. 290.
(*c*) Idem Sacra fol. 291.

ADDITO CENSU UT QUOTIDIE IN HOC SACELLO SACRIFICETUR. VIX. AN. 67 OBIIT 1529. (*a*).

HIERONYMO TOMACELLO NEAP. EQUITI CLARISS. D. HYPPOLITA RUFFA LUCRETIAE, ET CATHERINAE MATER ET TUTRIX AEDICULA MELIUS RESTITUTA, CONJUGI OPT. M. SIBI, ET HAERED. S. P. KAL. MARTII 1591 (*b*).

In Ecclesia dicta *dell'Assunta* in majoris altaris parte postera legitur

HIC JACET CORPUS MARIELLAE MINUTULAE UXORIS DOMINI AEGIDIJ SASIRERAE VICEREGIS SERENISS. DOMINI DOMINI ALPHONSI DEI GRATIA ARAGONUM, ET SICILIAE REGIS, ET IN REGNO NEAPOLITANO, QUAE OBIIT DIE 3 M. NOVEM. AN. DOMINI 1430 (*c*).

In Ecclesia vulgo dicta *S. Maria della Nova*, in Choro legitur.

D. O. M.

HIERONYMO ANGELO, ET CAMILLAE APRANIAE EX NOBILITATE NEAPOLITANA CONJUGIBUS CONCORDISSIMIS HAEREDES EX TESTAMENTO PP. ANNO SALUTIS 1531 (*d*).

(*a*) Napoli.
(*b*) Idem.
(*c*) Idem. fol. 477 —
(*d*) Idem. Sacra fol. 492.

FINIS.

RACEMATIO SUPERSTES

Illustrabit, mihi crede, tuam amplitudinem hominum iniuria. Cic. Lib. 1. Fam.

Virorum ex Capyciorum familia illustrium nomina ex intemeratae fidei scriptoribus, et archivorum monumentis collegimus, et huic disceptationi finem imposuimus.

Ex Capyciana familia summi Pontifices duo, scilicet Bonifacius IX olim Petrillus *Capycius Thomacellus* anno XCCCXCI.

Quatuor nonaginta post annis Innocentius VIII. olim *Capycius Cybo.*

Cardinales

Anno XCLV. sub Adriano IV. Ioannes Capycius Boxutus —

Sub Bonifacio IX. *Henricus Capycius Minutolo* Neap. Archiepiscopus, ex Capyciorum familia Thomacelli Petrinus sub Urbano VI. Leonardus, et Angelus sub Bonifacio IX; Laurentius Capycius Cybo sub Innocentio VIII; Rinaldus Capycius Piscicelli Neap. Archiepiscopus sub Bonifacio IX; Hannibal Capycius Boxutus sub Pio IV; Philippus Capycius Minutolo Anno 1290 Neap. Archiepiscopus; Laurentius Capycius. Cybo sub Innocentio VIII; Ursus Capycius Minutolo Salerni Archiepiscopus anno 1137; et Iosephus Capycius Zurlo Neap. Archiepiscopus sub Pio VI.

Archiepiscopi et Episcopi quamplurimi quorum nomina apud Ughellium videri poterunt.

Principes, Duces, et Comites.

Principes Massae et Carrariae ex Capyciorum Cybo familia inter quos summo cum honore numerandus Albericus, cujus memoriam habemus apud plurimos illius temporis Scriptores, et praesertim apud Ferdinandum De Marra, uti supra notavimus.

Ex Capyciorum Thomacelli familia Iacobus Capycius Tomacelli Monopolitanorum Princeps; Duces etiam Altamurae, Spoletinorum, et Picentium Marchiones in eadem familia numerantur.

Inter Comites vero recensendi praesertim sunt Salmonensis Capycius Latro, Giringus Capycius Scondito, Franciscus Capycius Cybo Anguillarae Comes, unde hodierna Capyciorum della Somaglia familia originem repetit; sex Capycii Zurlo, quorum nomina obliteravit aetas, plurimi vero ex Tomacellis Comites, videlicet Celani, Sorae, Calvij, Summae, Nuceriae, Minervini, Montisfusculi, inter quos praecipue enituit Arnus Capycius Cybo Regum Renati, et Alphonsi de Aragonia Regni Neapolitani Vices gerens, et Magnus Regni Camerarius.

Corradus, et Marinus fratres, quorum saepe mentionem fecimus.

Iacobus Capytius Magnus Regni Siniscalcus.

Bernardus Capycius Caroli V. Supremi ordinis a latere Consiliarius.

*

Constantinus Capycius Minutulus sub Carolo I, Riccardus Capycius Thomacelli sub Guglielmo, Hernestus Capycius Galeota sub Tancredo, Iacobus etiam Capycius Galeota sub Ioanne de Angiò, Regum istorum universas strenue ductarunt copias.

Salmonensis Capycius Latro bellicae virtutis praemio militum gravioris armaturae sub Federico II. Praefectus.

Matthaeus Capycius Aprano Aragenum Tuneti Regem Regi suo vinctum obtulit.

Albericus Capycius Piscicelli.

Capycii vero Zurli a plurimis Regibus plura quam triginta oppida obtinuerunt.

Inter copiosam hanc tantorum virorum seriem Scipio Capycius summum obtinet locum, et ne plura de tanti viri meritis dicam, Petri Bembi Cardinalis, et Aldi Manutii Literas typis Neapolitanis editas anno 1594 apud Iacobum Carlinum, denuo publici juris facere operae pretium erit.

PETRUS BEMBUS

CARDINALIS

SCIPIONI CAPYCIO S. P. D.

Poema de Principiis Rerum tuum heroicis carminibus conscriptum, in duos divisum libros, legi sanè libentissimé: est enim ejusmodi, ut magnopere cum Lucretii stylum et elegantiam, tum antiquorum hominum aetatem illam cultam et perpolitam redoleat: itaque et tibi gratias habeo, qui me jucundissima tuorum librorum lectione oblectaveris; et Tassum nostrum ea de re plusculum etiam quam soleo amo; soleo autem et debeo certè plurimum, quod eum puto tibi auctorem fuisse, ut mihi illos mitteres; ab ipso enim accepi. Quamobrem edas illos censeo, sinasque per manus perque ora gentium pervagari; magna enim tua cum laude nomen ipsum proferent, et aeternitati consecrabunt tuum. Reliqua de Tasso, cum ad te redierit, intelliges. Vale. Quarto Non. Jul. 1545 Romae.

IUDICIUM PAULI MANUTII ALDI F.

De hoc Poemate Capyciano ex illius epistola quadam ad Illustrissimam Salernitani Principis Conjugem Isabellam Villamarinam.

Divinum carmen est, multis luminibus ingenii, multa arte distinctum: equidem nihil legi in hoc genere perfectius; ut ne Lucretius quidem pluris apud me sit: quo cum antea propter sermonis elegantiam delectarer, uterer que multum, caepit mihi jam minus esse familiaris, posteaquam Capycium legi. Hoc opus, et quia scriptum est a tuo studiosissimo, et quia versibus te dignis, idest luculentissimis, non dubito, quin a me missum avide accipias, sic inquam ut de isto me munere ames plurimum. Vale. Venetiis 1546.

Denique in hac Capyciorum memoria silentio praeteriri non debent ea, quae apud Cl. Bocacium reperiuntur; ibi enim legitur (*a*) » Appresso la morte » di Federico II. Imperadore, fu Re di Sicilia coro- » nato Manfredi, appo il quale in grandissimo stato » fu un gentiluomo di Napoli, chiamato Arrighetto » Capece il quale per moglie aveva una bella e gen- » tile donna similmente Napolitana, chiamata Ma-

(*a*) Giornata II. nov. Madonna Beritola.

» donna Beritola Caracciola. Il quale Arrighetto avendo
» il governo dell'isola nelle mani, sentendo, che il
» Re Carlo I. avea a Benevento vinto ed ucciso Man-
» fredi, e tutto il Regno a lui si rivolgea; avendo
» poca sicurtà della corta fede de' Siciliani, e non
» volendo suddito divenire del nemico del suo Signore,
» di fuggire s'apparecchiava ec.

Filibertus Campanile in suo opere Neapoli edito, ubi de Capyciorum familia agitur, Bocacii locum illum notavit, ait enim (*a*) » Arrighetto fu dal Re Man-
» fredi fatto Vice Re di Sicilia, il qual Regno egli
» governò sino alla morte di quel Re. Ebbe costui
» per moglie Beritola Caracciola, li cui il Boccac-
» cio formò la novella.

Demum Bocacius idem Riccardi Minutulo mentionem faciens ait (*b*) » In Napoli città antichissima ec.
» fu già un giovane per nobiltà di sangue chiaro, e
» splendido per molte ricchezze, il cui nome fu Ric-
» ciardo Minutolo ec.

Filibertus autem Campanile in citato opere haec addit (*c*) » Riccardo che dicemmo essere stato anche
» egli figliuol di Ligorio, fu cavaliere, consigliere, e
» familiare del Re Roberto, e della Regina Giovan-
» na I, dalla quale nel 1343 fu egli mandato per Vice
» Re, e Capitano a guerra in Terra d'Otranto. Leg-
» gesi anche di questo Riccardo essere stato uno di

(*a*) Campanile *delle insegne de' Nobili di Napoli*, pag. 46.
(*b*) Boccaccio giornata III. nov. VI. Ricciardo Minutulo.
(*c*) Campanile pag. 56.

» quei cavalieri che accompagnarono il Principe di Ta-
» ranto all'impresa di Grecia. Fu suo figliuolo Filippo
» detto per soprannome Pallotto, il quale fu altresì
» cavaliere, consigliere, e famigliare de' medesimi Re,
» e nell' anno appresso a suo padre, fu anch' egli man-
» dato Vice Re nella medesima provincia d'Otranto.

Postquam autem multorum Capyciorum nomina notauit, addit » Nè fia di poco momento l'onorata me-
» moria, che Giovanni Boccaccio fa di questa fami-
» glia nel suo Decamerone, ove favellando di Ric-
» ciardo Minutolo non sol dice, che egli era splendido
» per molte ricchezze, ma chiaro per nobiltà di san-
» gue, essendochè egli era di questa nobilissima casa.

Dominicus vero Maria Manni in suo opere *Istoria del Decamerone* Florentiae edito 1742 post illa, quae supra notavimus Campanile verba, haec addit (*a*)
» Al Boccaccio, che praticò in Napoli alla Corte non
» poteva essere cosa più facile a sapersi che questo
» fatto.

(*a*) Pag. 128.